Nicolai Bende:

AD RATIONES DECEM EDMVNDI CAMPIANI IESVITÆ,

QVIBVS FRETVS CERTAMEN Anglicanæ ecclesiæ ministris obtulit in causa fidei, Responsio *Guilielmi Whitakeri*, Theologiæ in Academia Cantabrigiensi professoris Regij.

Editio Secunda iam addito Indice.

LVC. 7. 35.

καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ πάντων τῶν τέκνων αὐτῆς πάντων.

LONDINI,
Excudebat Thomas Vautrollerius, impensis Thomæ Chardi. 1581.

Collegium Sancti Iohannis Evangelistæ
in Academia Cantabrigiensi. 1700

NOBILISSIMO ATQVE HONORATISSIMO VIRO GVILIELMO CECILIO, SVMMO Angliæ Theſaurario, Domino de Burghley: & Academiæ Cantabrigienſis Cancellario præſtantiſſimo.

PRODIIT *diebus hiſce proximis Edmundi Campiani quidam libellus, in quo erant rationes decem, quibus ille fretus tantos ſibi ſpiritus ſumpſerat, vt apertum eccleſiæ, religioniq; noſtræ bellum ſingulari confidentia indixerit. Poſtquam enim anno ſuperiore ex Italia, atque è complexu Romani Pontificis in Angliam, vt ipſe ait, iuſſus à Patre, vt ego iudico, ſua volũtate inductus redïſſet, ſtatim literas quaſdam diuulgauit incredibilis audaciæ amentiæq; plenas, in quibus erat ſcriptum veniſſe quẽdam nouum Ieſuitam, virum profectò admirabilem, qui cauſam Pontificiam defenderet, atque omnes aduerſarios, ſi qui auderent in certamen deſcendere, prouocaret. Res inaudita, & valde mira, poſt tam multos annos, in quibus Pontifex non modò ex hac Inſula cum ſumma contumelia eiectus, ſed è plurimis Chriſtiani nominis regnis atq; rebuſp. tanquam hoſtis fidei teterrimus, ipſeq; adeo Antichriſtus extruſus ac profligatus fuiſſet, quenquam vnum extitiſſe, & iuuenem, & in Theologia tyronem, & non magnopere eruditum, & nobis omnibus præclarè notum, qui tantum*

scientiæ auderet profiteri, quantum in omni Pontificio regno minimè reperitur. Exceptus est Campianus à duobus doctissimis viris Guilielmo Charco, & Meriditho Hanmero, qui Scripti illius vanissimi sic neruos inciderunt, spiritus fregerunt, authoritatem fidémq; minuerunt, vt iam & Campianus iacêre, & illæ terribiles minæ, quas proiecerat, in fumum abijsse viderẽtur. Vbi causam frigêre sensit Campianus, nec quæ voluit, ex animi sententia euenire, nouum libellum, quem secum attulerat, cuiusq́; emittendi tempus & occasionem captauerat, Oxonij in Comitijs, quibus ipse dicitur veste mutata interfuisse, in vicis angulisq́; sparsit: quem & scriptum eleganter Latinè, & Academicis προσπεφωνημένον multi auidè legerunt, & nunc iterũ omnes in ore Campianum habuerunt. Hunc mihi libellum Archiepiscopus Cantuariensis, Dominus meus singularis, Calẽdis Sextilibus primus ostẽdit, authorq́; fuit, vt illum ego refutarem, quia & erat scriptus ad Academicos, & ego pro nostris ei respondere videbar debuisse. Inuitus feci vt id in me reciperem, quandoquidem publica professione satis occupatus, nouas & mihi non necessarias molestias accersere minimè cupiebam. Tamẽ & tanti viri authoritate, & ipsius rei consideratione commotus, annui, atque hunc in me laborem suscepi. Huc verò accessit, vt deinde literæ ab Episcopo Londinẽsi ad nostram Academiam venerint, quibus eadẽ mihi prouincia imposita fuit. Itaq; non recusaui, quandoquidem

ita

ita necesse fuit, cum nostro Campiano scriptis cõfligere, etsi id me tempore alieno, meisq; maximis negotijs facturum perspexi. Nihil verò me magis à scribendo deterruit, quàm aduersariorũ importuna petulantia, qui iam non argumentis & syllogismis, sed cõuicijs perpetuis calumnijsq; pugnãt, & id magis contendũt, vt optimi cuiusq; famã ladere velle, quàm causam ipsam vincere videantur. Sic enim nunc instituunt, vt qui nobis confidẽtissimè possunt & procacissimè maledicere, ij scriptores summi, & causæ Pontificiæ patroni præstantissimi habeantur: & quasi secum planè statuissent, quod Ephesiorum lege cautum fuit, μηδεὶς ἡμέων ὀνήιστος ἔστω, ita à nullo iniquissimæ rationis genere abstinẽt, & libros scribunt, quemadmodum de numis dici solet, postremos quosq; deterrimos. Cum hoc viderem eorũ institutum, qui se nostros in causa aduersarios profitentur, fateor me, qui semper ab hoc more penitus abhorrui, dolentius in hanc arenam descẽdisse. Quãquam vtcũq; fuerint aduersarij nostri iniqui atq; importuni, tamen spero innocẽtiæ contra calumniam perpetuò paratam fore defensionem. Luthero, Caluino, Bezæ, & nobis vniuersis conuicia facere poterunt, veritatem Euangelicã firmissimis fundamẽtis constitutam euertere nunquã poterunt. Si verò vellem Campiani exemplum imitari, vt quemadmodũ ille ex nostris nonnullis dicta quædam collegit, è quibus inuidiam causæ conflaret, sic ego Legẽdas illas pretiosas & Portiforium, & Ius põtificium, & Docto-

res Scholasticos, & Scriptores recentes, Eccium, Pighium, Andradium, Hosium, Lindanũ, reliquosq; euoluerem, & quicquid in his scriptũ est absurdissimè, in cumulum congererem, equidẽ materiæ tantũ comparare, quantũ naues sexcentas onerarias complerent. Sed malo missis diuerticulis, quæ palàm aduersarij quærũt, rem ipsam vrgere, & premere argumentã, in quibus causæ ipsa anima consistit. Itaq; Campianũ volui suis vestigijs persequi, digressiones raras adhibere. Peto autem à Campiano, vt posthac maiorem modestiã afferat, & quod instituit, argumentis Dialecticis cõcludat, vagas atq; alienas excursiones, & cõtumelioſam illam in certas personas acerbitatem mittat. Ita enim & causæ suæ melius cõsulet, & id efficiet, quod Theologũ, quod Iesuitã, quod Campianum magis deceat. Hãc verò cõcertationẽ cum Campiano meam, breui hoc libro explicatam tibi, illustrissime CECILI, trado, quã vt bonam in partem accipias, te vehementer oro. Mihi quidem necessarium fuit vt hãc pro nostris Academicis responsionẽ tibi offerrem, nostróq; Cancellario fidei illius ac religionis, quam tua Cãtabrigiẽsis Academia profitetur, quamq; aduersarius literis missis tẽtauit, atq; ad defectionem inuitauit, redderem rationem. Dominum obtestor, vt te principi, reip. nostræq; Academiæ quàm diutissimè cõseruet incolumem. Vale: Cantabrigiæ, è Collegio Sanctæ Trinitatis. Pridie Idus Septemb. 1581.

Amplitudinis tuæ studiosissimus
GVIL. WHITAKERVS.

EDMVNDVS CAMPIANVS,
DOCTISSIMIS ACADEMICIS,
Oxonij florentibus & Cantabrigiæ,
S. P. D.

ANNO præterito, cùm ex inſtituto vitæ meæ, iuſſus in hanc Inſulam remeaſſem, clariſſimi viri, offendi ſanè fluctus haud paulò ſæuiores in Anglicano litore, quàm quos in Oceano Britannico recens à tergo reliqueram. Mox interiorem in Angliam vbi penetraſſem, nihil vidi familiarius, quam inuſtata ſupplicia: nihil certius, quàm incerta pericula. Collegi me vt potui, memor cauſæ, memor temporum. Ac ne prius forte corriperer, quàm auditus à quopiam fuiſſem, ſcripto protinus mandaui conſilium meum, quî peniſſem, quid quærerem, quod bellum, & quibus, indicere cogitarem. Autographon apud me habui, vt mecum, ſi caperer, caperetur: Exemplum eius apud amicum depoſui, quod, me quidem neſcieme, pluribus communicatum eſt. Aduerſarij publicatam ſchedulam atrociter acceperunt, cùm cætera, tum illud inuidioſiſſimè criminantes, quòd vnus omnibus in hoc religionis negotio certamen obtuliſſem, quanquam ſalus in acie non eram futurus, ſi fide publica diſputaſſem. Reſponderunt poſtulatis meis, Hanmerus, & Charcus. *Quid tandem?* Otioſè omnia. *Nullum enim reſponſum præter vnum honeſtè dabunt, quod nunquam dabunt:* Conditiones amplectimur, Regina ſpondet, aduola. *Interea clamant iſti: Sodalitium tuum, ſeditiones tuas, arrogantiam tuam, proditorem, ſine dubio, proditorem. Ridiculè. Operam & oleum & famam homines non inſipientiſſimi cur profundunt? Verum his duobus (quorum prior, animi cauſâ, meam chartam delegit in quam incurreret: alter malitioſius totam rem conuoluit) præbitus nuper eſt libellus admodum luculentus, qui quantum oportuit, tantum & de Societate noſtra, & de horum iniurijs, & de prouincia quam ſuſtinemus, ediſſerit. Mihi ſupererat, (quoniam, vt video, tormenta non ſcholas parant antiſtites) rationem facti mei vobis vt probarem: capita rerum, quæ mihi tantum fidentiæ pepererunt, quaſi digito fontes oſtenderem: Vos etiam hortarer, quorum intereſt præter cæteros, incumbatis in hanc cu-*

rem, quam à vobis Christus, Ecclesia, Respublica, & vestra salus exigunt. Ego, si fretus ingenio, literis, arte, lectione, memoria, peritissimum quenquam aduersarium prouocaui, fui vanissimus & superbissimus, qui neque me, neque illos inspexerim: Sin causam intuitus, existimauit satis me valentem esse, qui docerem hunc solem meridie lucere, debetis mihi fenorem istum concedere, quem honor IESV CHRISTI REGIS mei, & inuicta veritas imperarunt. Scitis, M. Tullium in Quintiana, cum ei Roscius victoriam adpromitteret, si efficeret argumentis, sepimenta millia passuum non esse decursa biduo, non modo nihil veritum articulos & neruos Hortensij, sed ne grandiores quidem Hortensio Philippos, & Cottas, & Antonios, & Crassos, quibus maximam dicendi gloriam tribuebat, metuere potuisse. Est enim quadam veritas tam illustris & perspicua, vt eam nullis verborum ornamentis præstigijs possint obruere. Porrò liquidius est quod nos agimus, quam illa fuit hypothesis Rosciana. Nam si hoc præstitero, cælos esse, deos esse, fidem esse, Christum esse, causam obtinui. Hîc ego non sum animosus? Equidem occidi possum, superari non possum. Ijs enim doctoribus insisto, quos ille Spiritus erudijt, qui nec fallitur, nec vincitur. Quæso à vobis, vt salui esse velitis. A quibus hæc impetrare, reliqua minimè dubitanter expecto. Date modò vos huic solicitudini, Christum obtestamini, industriam adiungite, profectò sentietis id, quod res est, & aduersarios desperare, & nos iam solidè fundatos, quieto magnoq; animo hanc arenam expetere oportere.

Breuior hic sum, quòd reliquo sermone vos alloquor.

Valete.

R. E.

RESPONSIO AD EPISTOLAM *Campiani ſcriptam Academicis Oxonij & Cantabrigiæ florentibus.*

ANNO præterito factum eſſe ſcribis, *vt ex inſtituto vitæ tuæ iuſſus in hanc Inſulam remeares.* Num ſponte tua ac voluntate commotus, an vitæ ſectæq; Ieſuiticæ inſtituto & quadam neceſſitate extruſus in Angliam, è qua iam olim exceſſeras, remigraris, nõ quæram Campiane, nec quicquam ad rei ſummã intereſt. Id tibi multò fuit ſplendidius, atque illi perſonæ, quam tecum retuliſti, aptius, vt non obſcurè furtimq; irrepere, ſed cum mandatis redire videreris. Sed quis ille eſt, qui te potuit legatum in terram alienam mittere, aut quæ tibi parendi neceſſitas fuit, vt iuſſus ab eo, qui iubendi nullam habuit authoritatem, eò proficiſcereris, quò minimè velles? Si miles ille Hiſpanus viueret, qui nouam hanc Ieſuitarum familiam inſtituit, tibiq́ue mandaret vt in patria tecta faces ardentes inijceres, num obtemperares? Id nunquam, inquies, iuberet. At tam ille & hoc iubere potuit, & tu præſtare debuiſti, quàm id, cuius te cauſa veniſſe tũte profiteris. Vtrum enim leuius exiſtimemus domos inflammare, quàm ciuium animos à religione vera auertere, pacem Reipublicæ perturbare, ſubditos à principe alienare, omnia miſcere: quod vt faceres veniſti, tibiq́ue vitæ tuæ inſtitutum id impoſuit? Sed iſtam legationem quemadmodum obieris, audiamus. *Vbi*, inquis, *in Angliam interiorem penetraſſem, nihil vidi familiarius, quàm inuſitata ſupplicia.* Quænam verò Campiane? Siccine ſtatim mitiſſimo Sereniſſimq; Elizabethę imperio nonnullam crudelitatis infamiam inurere voluiſti, vt regnante Elizabetha, qua nihil vnquam vidit Anglia clementius, te nihil hîc vidiſſe familiarius, quàm inuſitata ſupplicia, confirmares? At quod nouum ſupplicij genus in Anglia vidiſti, ex quo in Angliam immigraſti? aut quem omnino potes tuum nominare, nõ modò ex quo ipſe veneris, ſed hiſce iam viginti tribus annis, quibus Optima Elizabetha reipublicæ clauũ tenuit, propter religionẽ capitis cõdemnatum, & morte affectum? Sumptum eſt quidem de paucis hominibus ſupplicium, quos tecum de religione ſen-

fisse fateor: at isti non religionis ipsius causâ damnati, sed læsæ maiestatis rei, & publico iudicio conuicti perierunt. Suspensus est superioribus diebus sacrificus quidam, nomine Euerardus, è seminario Remensi in Angliam emissus. Is etsi fuit multarum legum laqueis irretitus, tamen saluus esse potuit, nisi palàm pro tribunali ea dixisset, quæ nimis tetra atque infanda erant, nec ferri in libera ciuitate potuerunt. Nam & se pontificis seruum ac subditum professus est, idque etiam in Anglia, & pontificem ecclesiæ Anglicanæ, non minùs, quàm Romanæ, Caput esse affirmauit, & existimare se dixit pontificem non errasse, quando Elizabethã reginam *hæreticam, & hæreticorum fautricem* appellauit, eamque *regni iure priuatam esse* pronunciauit. Hac confessione conuictus est & damnatus Euerardus: qui pòst in carcere clarè atque affirmatè asseuerauit, astantibus atque audientibus sedecim honestissimis viris, *Proditionem in Principem non esse peccatũ in Deum.* Et tamen non nouo atque inusitato supplicio affectus est, sed eo, quo proditores apud nos necãtur. Sed tu quis es, & quam religionem profiteris, qui nobis audes crudelitatem exprobrare? Audi Campiane, & nega si potes: Nostri plures vno iudicio, vno die, vno incendio à vobis non ita pridem consumpti sunt, quam tu mihi potes hoc omni felicissimo Elizabethæ regno vestros diuersis temporibus ac supplicijs propter pontificis causam interfectos numerare. Repete, Campiane, superiorum temporum sæuitiam singularem, exquisita supplicia, crebra martyria: siquis in te reliquus sit humanitatis sensus, & vos nimium fuisse crudeles, & nobis causam esse datam, vt multò essemus, quàm fuimus, asperiores, atque aliquam vobis gratiam referremus, fatearis est necesse. Quæ enim vnquam tanta fuit hominum carnificina, quantam vobis dominantibus & vidimus, & adhuc recente memoria tenemus? Cui generi, cui ætati hominum peperciſtis, quos non immaniſſimè trucidaſtis, doctos, indoctos, viros, fœminas, senes, adolescentes, pueros, virgines, coniuges, laycos, presbyteros, Episcopos, Archiepiscopos? Virgis Martyres cecidiſtis, linguas è faucibus euulsiſtis, tædis ardentibus manus aduſſiſtis, torsiſtis, cruciaſtis, suspendiſtis, securi percuſſiſtis, viuos cremauiſtis, & lenta flamma torruiſtis, infantem è matris vtero defluentem muc ronibus excepiſtis, atque in ignem reiecisti, denique quicquid inaudita crudelitas potuit

mit excogitare, in eos ſtatuiſtis. Nec tantùm in viuos crudeles extitiſtis, ſed eò etiam immanitas progreſſa veſtra eſt, vt ſanctorum corpora è ſepulchris effoderetis, diem mortuis diceretis, accuſaretis, capitis condemnaretis, exureretis, & illos veteres tyrãnos furore ac feritate vinceretis. Quod potes noſtrum ſimile factum commemorare? aut quis apud nos morte mulctatus fuit, quem quiſquam bonus non trina morte, quàm vita digniorem iudicaret? Quare veſtram, Campiane, agnoſce, non noſtram accuſa crudelitatem, quæ ſi fuiſſet aliqua, non tu tam facilè ad nos, iuſſus licèt, remeaſſes. Verùm perge nobis, quid deinceps egeris, explicare. *Ne prius fortè*, ais, *corriperer, quam auditus a quopiam fuiſſem ſcripto protinus mandaui conſilium meum, qui veniſſem, quid quærerem, quod bellum, & quibus indicere cogitarem.* Ergo vt nobis bellum indiceres veniſti. Sed nec qui te miſit, legitimus ac iuſtus hoſtis fuit, nec tu munere perfunctus es iureque feciali. Cùm primum enim pedem in Anglia poſuiſti, temet in latebras abdidiſti, nec tui nobis poteſtatem feciſti. In quo quàm præclarè ijs mandatis, quæ attuliſti, ſatisfeceris, ipſe videris. Hæc quidem tua belli denunciatio, tam ineptè timideque facta, nec tibi honeſta, nec patri tuo gloriosa fuit. *Autographon*, inquis, *apud me habui, vt mecum ſi caperer, caperetur. Exemplum eius apud amicum depoſui, quod, me quidem neſciente, pluribus communicatum eſt.* Quàm iſta vera ſint, quæ narras, alij iudicent: mihi quidam prorſus incredibilia videntur. Si enim veniſti, quemadmodum ipſe affirmas, vt belli nobis indiceres, illas literas, quibus bellum nobis indicitur, te inuito & neſciente diuulgatas eſſe cenſeamus? Tum ſic eæ perſcriptæ literæ ſunt, quas tui longè lateq; ſparſerũt, vt hoſtẽ nõ aduẽtantem, ſed iã preſentẽ ac noſtro capiti imminentẽ indicarent: vt cum ego illam ſplendidam ac mirificam denunciationem tuam accepiſſem, quin te breui in media Academia vel Oxonienſi, vel noſtra cõſpicerem, minimè dubitarem. Et quorſum conſilium tuum ſcripto mandares, niſi edere cogitares? *vt mecum, inquis ſi caperer, caperetur.* Quid hoc rei eſt, Campiane? Vt lateres ac fugeres, an vt pugnares veniſti? Nullam in verbis fidem, nullam in fabula veriſimilitudinem video, memoriam & acumen tuum deſidero. *Reſponderunt*, ais, *poſtulatis meis Hammerus & Thacus.* Et quidem hi duo, quos nominas, præſtãtes viri tuam illam vaniſſimam & audaciæ intolerandæ pleniſ-

simam schedulam sic acceperũt, quemadmodum ea merita fuerat, teq; Iesuiticè ac iuueniliter exultantem præclarè mollierũt. Cur autem illam concertationem omisisti, & doctissimo Charco atq; Hanmero nihil iamdudum respondisti? Vno scilicet verbo quicquid illi attulerunt, diluis, *Otiosè omnia.* Facilis & Campiano digna responsio. Quamobrem tandem? *Nullam enim*, inquis, *responsum præter vnum honestè dabunt, quod nunquam dabunt, Conditiones ampleßimur, Regina spõdet, aduola.* Ineptus es, qui hoc ab illis responsum expectes, qui præstare non possent, si, quod petis, promitterẽt. Quamquam id tibi velim persuadeas, Campiane, hanc conditionem, si data esset, tam nobis gratam futuram, quam tu tibi fore simulas. Si id augustissima Regina, proceresq; sapientissimi commodum & publicæ paci consentaneum iudicarent, vt palàm de religione disputaretur, an tu censes aduersarios tibi defuturos, aut te victoria sine sudore & puluere potiturum? Non ego cum Charco, non cum Hanmero, nõ cum alijs infinitis sum conferẽdus, qui vel student in Academijs, vel ecclesijs præsunt: tamen indignum me censeam, qui viuam, si tecum duello congredi metuam. Si enim is tu es Campianus, quem superiore hebdomada in maxima hominum frequentia dicentem, quæ poteras, & disputantem audiuimus, causam video nullam, cur te nostrũm quisquam in causa aduersarium reformidet. Nam qualem, obsecro, te nobis eo die præbuisti? Actum est tecum à nostris de quibusdam partibus libelli tui, de quo credibile erat facilè te posse respondere: ne tibi fiat iniuriam conqueri posses, si quid noui proponeretur. Et quando initiò statim Lutherum acerbissimè exagitas, eumq; desperatione quadam impulsum esse scribis, vt epistolã Iacobi, *tumidam, aridam, contũsiosam, stramineam* appellaret: adductus liber est in quo ista ab illo scripta esse fingis, & tu iussus es, vt locũ ostẽderes. Vbi te deprehensum sensisti, & tamen calumniæ crimen depellere voluisti, excogitasti quiddam, quod velim ab omnibus animaduertí. Præfationem illam purgatam esse dixisti, quã tamen satis constat nullo vnquam verbo mutatam esse. Ad extremum id respondisti, quod risum omnibus commouit, & fuit certè vehementer ridiculum, missurum te ad Cæsarem, & ducẽ Bauariæ, qui hæc à Luthero scripta esse Principi nostræ renũtiaret. Sed tamen alio in libro aliquid nactus es, in quo nonnihil exultabas. Scribit enim Lutherus de Captiuit. Babyl. mul-

tos ex veteribus probabiliter asserere hanc epistolam *non esse Apostoli Iacobi, nec Apostolico Spiritu dignam.* Hoc tu blasphemum admodum esse clamabas. Responsum tibi est, id non Lutherum ipsum affirmare, sed dicere hoc ab alijs probabiliter affirmari. Nihilne inter hæc censes interesse? Tamen instabas, & blasphemiam percrepabas. Eusebius allatus est, qui hanc epistolam *Adulterinam & Spuriam* disertè nominauit. Huic nihil respondere potuisti. Tum vt blasphemum fuisse Lutherum ratione euinceres, à nostris quæsiuisti, quid illi de hac epistola sentirent. Respondent clarissimè, se & hanc Iacobi epistolam, & cæteras omnes epistolas ac libros, qui soliti sunt in nouo Testamento numerari, pro canonicis habere, atque ita ecclesias nostras de illis iudicare. Hinc tu concludere voluisti blasphemum fuisse Lutherum, qui probabiliter de huius epistolæ authoritate dubitatum esse à veteribus scribit. Huic argumento à nostris reclamatum est, id non consequi, etiamsi nos de hac epistola persuasi sumus, tamen, si quis nonnihil dubitet, esse blasphemum. Atque hoc in loco tu planè succubuisti, & cum te duobus vti argumentis velle diceres, nullum attulisti. Transitum deinde est ad vetus Testamentum, de cuius syncero Canone multos libros à nobis repentè dispunctos esse criminaris. Productum est Antiquitatis testimonium, ex quo constabat illos libros non esse Canonicos. Antiquis patribus & Synodis recentes antepositisti, quod tamen omnino contrà oportuit: Hieronymo Augustinum obiecisti, quos à te conciliari æquius fuit. Hos libros Augustinus Canonicos esse dicit, negat Hieronymus, & negat disertè, planè, categoricè. De Augustino responsum à nostris est, vocabulum illud, *Canonicus*, æquiuocum esse. Id & Augustini ipsius, & Caietani Cardinalis verbis demonstratum est. Augustinum elusisti, Caietano conuicium etiam singulare feciſtis: Cardinalem hunc, quando scribere commentarios in scripturas cœpit, gratiam omnem & venustatem amisisse. Tandem in Gratiano ipse coactus es, Campiane, huius vocis Homonymiam non sine rubore agnoscere. Cum autem illa vetustatis testimonia tibi ignota esse non possent, mirari se nostri dixerunt, quod tu scripseris, hos libros à nobis esse *repentè* præcisos. Nam hoc verbum nimis à te profectò imperitè atque inconsideratè positum est. Testibus & antiquis, & medijs abundamus,

qui nos isto nouitatis crimine facilè liberabunt. Origenem, atque Eusebium prætermitto. Cyprianus, siue quisquis ille fuit, qui Symboli expositionem scripsit, quam legimus apud Cyprianum, postquam libros Canonicos veteris, nouiq; Testamenti numerasset, subiungit. *Hæc sunt, quæ patres intra Canonem conclusérunt, ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt. Sciendum tamen est, quòd & alij libri sunt, qui non Canonici, sed Ecclesiastici à maioribus appellati sunt, vt est Sapientia, quæ dicitur Salomonis, & alia sapientia, quæ dicitur Sirach: eiusdem ordinis est & libellus Tobiæ, & Iudith, & Machabæorum libri.* Huic alterum adiungam ætatis recentioris, & tamen annis quadringentis nostra antiquioris, Hugonem de sancto Victore, virum valde doctum, & suo tempore clarissimum. Quid ille hac de re scripserit, si non legisti, lege: si legisti, recole. Vbi libros veteris Testamenti Canonicos nominatim percensuisset, sic in extremo scribit: *Sunt præterea in veteri Testamento alij quidam libri, qui leguntur quidem, sed in corpore textus, vel in canone authoritatis non scribuntur. Vt est liber Tobiæ, & Iudith, & Maccabæorum, & qui inscribitur liber sapientiæ Salomonis, & Ecclesiasticus.* Alios omitto, quos potui commemorare plurimos omnium ferè ætatum, ex quibus ecclesię perpetuum de libris istis iudicium cognosci potest. Quæ cum ita sint, té ne oportuit, Campiane, tam iniquum esse, vt hos libros esse à nobis repētè de Canone dispunctos audacter affirmares? aut te quisquā tam pueriliter nugātem pertimescat? Noli nimiùm ingenio tuo delectari, nec illis dotibus, quas tibi vel natura tribuit, vel industria attulit, ad falsitatē defendendam & illud Antichristi regnum sustentandum abuti: inspice in mentem tuam, vt te penitus cognoscas: & spiritus illos, quos tibi vanissima secta afflauit, depone: mitte fabulas, excute illam leuitatem Iesuiticam, atque vt Hieronymo suadet Augustinus, *arripe seueritatem Christianam, & cane palinodiam.* Nō enim errorem reuocare, sed persistere in errore inhonestum est. Verùm nunc ad tuam præfationem redeamus. *Tibi*, inquis, *supererat rationē facti tui nobis vt probares: & capita rerum, quæ tibi rātum fidentiæ pepererunt, ostenderes.* Nos verò, Campiane, causam fuisse nullam perspicimus, quamobrem vel de te tantū promitteres, vel istis capitibus, quibus nihil futilius commemorari potuit, cōfideres. Capita enim hæc decem tua, quæ tibi tantā confidentiam attulerunt, decem sunt splendida mēdacia, quibus si confidis,

Cyprian. in Expo. Symbol.

Hugo de Sancto Victore, in prologo. 1. lib. de Sacram. cap. 7.

confidis,illis Hieroſolymitanis multò deploratior es,quos Hie- *Hiere.7.4*
mias reprehendit.*Nolite confidere rebus falſis: dicentes, Templum Iehouæ, Templum Iehouæ.* Et quæ tua alia cantilena eſt, quàm vel hæc, vel hac longè amentior, atque deſperatior? Tamen ais ſatis te valentè eſſe,*qui doceas hunc ſolem meridie lucere.* Quã-tum tu valeas omnes intelligunt.Tam certè potes diem in noctem conuertere, aut ſolem de cœlo detrahere, quam hæc tua defendere, Campiane.Iactationes iſtæ pollicitationesque inuſitatæ,quibus vbique veteris,non animum ſolida doctrina cumulatum,ſed aura leuiſſima turgẽtem & inflatum oſtendunt. Inaniſſima dolia acutiſſimè reſonant. Cuius enim inſolentiæ eſt, quod ſubiungis de *hypotheſi Roſciana?* quaſi non minùs liquidò conſtet vera eſſe,quæ tu defendis,quàm fieri non poſſe,vt quiſquam biduo ſeptingenta millia paſſuum decurrat. Pudet vanitatis,iactationis,arrogantiæ. Tũne audes id promittere, vt tam perſpicuum planumque facias errare ampliſſimas ac nobiliſſimas Chriſtiani orbis eccleſias, quàm neminẽ biduo millia paſſuum ſeptingenta poſſe ambulare? Si potes orbem terrarum triduo peragrare & circumire Campiane,ſi ſolem anteuertere, ſi digito cœlum attingere, ſi ſtellas numerare, ſi mare abſorbere,potes hanc cauſam, cui te totum addixiſti, veram demõſtrare. Sin illa ſunt maiora viribus tuis,hoc tu nunquam præſtabis, vt te vel omnes adiuuent Ieſuitæ. Quod autem nos rogas, vt ſalui eſſe velimus, voluntatem ſtudiumque erga noſtram ſalutem tuum in bonem partem accipimus. Et quidem in hanc curam diligenter incumbimus, vt veram ſalutem conſequamur: cuius cum vnica ſit adipiſcendæ ratio, eaque in ſcripturis manifeſta,te viciſſim obſecramus vt humanis inuentis diffidas,eaque Papiſtarum innumerabilia commẽta mittas,in quibus iam aliquot annis hæſiſti,atque in illam nobiſcum ſalutem æternam incumbas, quam ſcriptura Chriſtianis hominibus ac vitæ ſempiternæ ſtudioſis proponit. Quid enim attinet ſalutem exoptare,& in ea quærenda miſerè aberrare? Quare te quæſumus atque obteſtamur, Campiane, vt velis ex illis tuis ſalebris, mortisque erroribus in quibus adhuc hæres in planam rectamque viam reuerti. Quouſque enim eſſe vis Ieſuita,ſaluus eſſe nec potes, nec vis quidem. Hic te breuiorem eſſe dicis, *quòd nos reliquo ſermone alloqueris.* Itaque te nunc loquentem audiamus.

RATIONVM CAPITA, ET ORDO.

1 Sacræ Literæ. Pagina, 1

2 Sacrarum Literarū ſentētia. pag. 37

3 Natura eccleſiæ. pag. 57

4 Concilia. pag. 64

5 Patres. pag. 86

6 Firmamenta Patrum. pag. 116

7 Hiſtoria. pag. 124

8 Paradoxa. pag. 138

9 Sophiſmata. pag. 199

10 Omne genus teſtium. pag. 214

RATIONES OBLATI CERTAMINIS REDDITÆ ACADEMICIS ANGLIÆ.

Edmundus Campianus.

SACRAE LITERAE.

Prima Ratio.

*CVM multa sunt, quæ aduersariorum diffidentiam in causa loquuntur: tum nihil æqué, atq; sanctorum Maiestas Bibliorum fœdissimè * violata. Etenim qui, posteaquam reliquorum testium voces & suffragia contempserunt, eò sunt redacti nihilo secius vt stare nequeant, nisi diuinis ipsis codicibus vim & manus intulerint. Ij se profectò declarant extremâ fortuna confligere, & rebus iam desperatis ac perditis experiri durissima velle atq; vltima. Manichæis quid causæ fuit, vt Euangelium Matthæi & Acta refigerent Apostolica? Desperatio. His enim voluminibus cruciabantur, & qui Christum negauerant prognatum de virgine, & qui spiritum Christianis tum primò cœlitus illapsum finxerant, quum ipsorum Paracletus, Persa nequissimus, erupisset. Quid Ebionijs, vt omnes Pauli repudiarent epistolas? Desperatio. His enim suam dignitatem retinentibus, antiquata circumcisio est, quã isti reuocauerant. Quid Luthero, vt epistolam Iacobi * contentiosam, tumidam, aridam, stramineam, flagitiosus apostata nominaret, & indignam spiritu censeret Apostolico? Desperatio. Hoc enim scripto confossus miser atque diruptus est, cum in * sola fide iustitiam constituerit. Quid Lutheri catu-*

August. li. 28. contra Faust. cap. 2. & de vtil. cre. cap. 3. Matth. 1. Act. 2.

Iren. li. 1. cap. 26.

Praef. in epist. Iacob. Vide etiam li. de capti. Babi. & Cent. 2. Madg. pag. 58 Iac. 2.

* Falsum: Nulla enim Bibliorum pars à nobis violata est.

* Falsissimum: Lutherus enim hanc epistolam valdè probat, nec vnquã vel contentiosam, vel tumidam, vel aridam, vel stramineam vocauit.

* Falsum: Nihil enim hic locus facit contra solius fidei iustitiam.

lis, vt Tobiã, Ecclesiasticum, Machabæos & horum odio complures alios, eadem calumnia comprehẽsos, ẽ * syncero Canone repente dispungerent? Desperatio. His enim Oraculis disertissimè conuincuntur, quoties de Angelorum patrocinio, quoties de arbitrij libertate, quoties de fidelibus vita defunctis, quoties de diuorum hominum intercessione disputant. Istáne verò? Tantum peruersitatis, tantum audaciæ? Cũ Ecclesiam, Concilia, Cathedras, Patres, Martyres, Imperia, Populos, Leges, Academias, Historias, omnia vetustatis & sanitatis vestigia conculcassent, scripto Dei verbo tantùm controuersias velle dirimere proclamassent, illud ipsum verbum, quod solum restiterat, exsectis è toto corpore tam multis, tam bonis, tam speciosis partibus, delumbasse? || Septẽ enim ipsos de veteri Testamento codices, vt minuta dissimulẽ, Caluiniani præcidrunt. || Lutherani verò etiam Epistolam Iacobi, & huius inuidia, quinq; alios, de quibus aliquando fuerat & alicubi controuersum. His quoq; libellum Hesteris, & tria penè capita Danielis annunierant nouissimi Genuenses, quæ quidem Anabaptistæ istorũ condiscipuli iampridem damnauerant atque deriserant. Quanto modestius Augustinus, qui sacrosanctum catalogum peruexens, non sibi, neque Alphabetum Hebraicum, vt Iudæi, neque priuatum spiritum, vt Sectarij, pro regula posuit: sed illum Spiritum quo totum corpus Ecclesiæ Christus animat? quæ quidem Ecclesia custos huius depositi, non magistra, quod hæretici calumniantur, thesaurum hunc vniuersum quem Tridentina Synodus est amplexa, * vetustissimis olim Conciliis publicitùs vendicauit. Idem Augustinus de vna Scripturarum particula specialim disserens, inducere in animũ non potest, librum Sapientiæ, quia tum, Ecclesiæ calculo, temporum serie, priscorum testimonio, institutione fidelium, vt firmus & Canonicus robur obtinuerat, cuiusquam temeritate vel suffurro, extrudi extra canonem oportere. Quid

* Falsum: hi libri nunquam habiti sunt pro syncteris.

* Falsum: Nam Synodus Laodicena sic sacros libros numerat, non vt Tridentina Synodus, sed vt nos numeramus.

Bibl. Geno.
Tob. 12.
Ecclesiast. 3.
1. Mach. 12.
1. Mach. 13.

|| Ij sunt. Baruch. Tobiæ. Iudith. Sapientia. Ecclesiasti. Duo Macha.
|| Ex no. Test. Epist. Iacobi. Epist. ad Heb. Epist. Iudæ. Epist. 2. Pet. Ep. 1. & 3. Io.
Ita sensant Luth. in præf. Magd. cent. 1. lib. 2. cap. 4. Kem. in exã. Cõ. Tri. Sess. 4. Dodo. Chri. lib 2. cap. 8. Sess. 4. Vide Melch. Can lib. 2 de Io. Theol. cap. 9 & 11.
De Trad. Sanct. ca. 14.

*ille nunc diceret, si viueret in terris, & Lutheros Caluinosq; concerneret opifices Bibliorum, qui sua lima politula & elegantula vetus nouumque Testamentum raserint, neque Sapientiam tantum, sed & alia permulta de Canonicorum librorum ordine segregauerint: vt quicquid ex horum officina non prodierit, illud ab omnibus, phrenetico decreto, tanquam inculcum & horridum conspuatur? Ad hoc tam dirum & execrabile perfugium qui descenderint, ij certè, licet in ore suorum asseclarum volitēt, Sacerdotia nundinentur, declamitent in concione, ferrum in Catholicos, equuleum, crucemq; consciscant, tamen victi, abiecti, squalidi, prostrati sunt: quandoquidem arrepta virgula censoria, velut arbitri sedentes honorarij, diuinas ipsas tabulas, siquæ ad stomachum non fecissent, obliterant. Ecquis est, vel mediocriter institutus, qui talium cuniculos hostium reformidet? qui hostes, quamprimum in corona vestra, eruditorum hominum, ad eiusmodi veteratorias artes, tanquam ad familiarem dæmonem currerent, non aurium conuitio, sed strepitu pedum exciperentur. Quærerem ab illis, verbi gratia, quo iure corpus Biblicum detruncent atque diripiant. Respondent, non se veras scripturas excindere, sed excernere supposititias, quo iudice? * Spiritu sancto.*

Inst. lib. 1. cap. 7.

Hoc enim responsum à Caluino præscribitur, vt Ecclesiæ iudicium, quo spiritus examinantur, subterfugiat. Cur igitur alias alij lancinatis, cum omnes eodem spiritu gloriemini? Caluinianorum spiritus recipit sex epistolas, quæ spiritui non placent Lutherano: freti tamen vterque sancto spiritu. Anabaptistæ, historiam Iobi fabulam appellant, tragicis & comicis legibus intermixtam. Qui sciunt?

Xist. Sen. lib. 7.

Præf in Can.

*Spiritu docente. Castalio, mysticum illud Salomonis Canticum, quod, vt paradysum animæ, vt manna reconditum, vt opiparas in Christo delicias catholici admirantur, nihilo pluris, quàm * cantilenam de amicula, & cum pedissequis aulæ colloquium ama-*

* Spiritum sanctum Campianus iudicem recusat.

* Falsum: Nullum est Castalionis in præfatione verbum eiusmodi.

*torium, venereus furcifer, æstimauit. Vnde hausit? à spiritu. In Apocalypsi Ioannis, cuius omnes apices excelsum aliquid & magnificum sonare confirmat. Hieronymus, tamen Lutherus & Brentius & Kemnisius quiddam, nescio quid, difficiles Aristarchi desiderant, eò scilicet propendentes vt exauctoretur. quē percontati? spiritum. Quatuor Euangelia feruore præpostero * Lutherus inter se committit, & prioribus tribus epistolas Pauli longè præferens, vnicum deinceps Euangelium Iaannis, pulcrum, verum, præcipuum decernit esse nominandum, quippe qui, quod in ipso fuit, libenter etiam Apostolos suarum rixarum socios adscripsisset. quo doctore? spiritu. Quin etiam iste fraterculus non dubitauit * Euangelium Lucæ petulanti stylo perstringere, quòd in eo crebrius bona nobis virtutum opera commendentur. quem interrogauit? spiritum. Theodorus Beza verbum illud arcanum ex Lucæ vigesimo secundo capite*, Hic est calix, nouum testamentum in sanguine meo, qui (*calix*) pro vobis fundetur: *ausus est vt corruptū vitiatúmque traducere, quòd hæc oratio nullam expositionem nisi * de vino calicis conuerso in verum Christi sanguinem patiatur. quis indicauit? spiritus. Denique cum omnia credant suo quisque spiritui, nomen Sancti Spiritus horribili blasphemia mentiūtur. Qui sic agunt, nónne se produnt? nónne facile refutantur? nónne in consessu talium virorum, quales estis Academici, tenentur, ac minimo negotio constringuntur? Cum his ego timeam pro fide Catholica disputare, qui pessima fide, voces non humanas, sed æthereas, tractauere? Nihil hic dico, quæ vertendo peruerterint, quamuis intollerabilia sint quæ accusem. Gregorio Martino sciētissimo linguarū, collegæ meo, qui doctiùs & pleniùs hoc præstabit, nihil præripio, nec alijs, quibus id laboris esse iā præ manibus intellexi. Facinorosius crimē est ac tetrius, quod nunc persequor: Inuentos esse doctor-*

culos

Epi. ad Paul. Præf. in Apo.

Præf. in nouū Testamentū.

Ser. de Phar. & Publ.

Luce. 22. cap. Ποτήριον ἐκχυνόμενον.

* Falsissimum: lege respōsum.

* Falsum: Nihil vnquam Lutherus de Luca petulanter dixit.

* Falsum: hanc enim expositionē nullo modo patitur.

culos, qui temulento quodam impetu in cæleſte chirographum inuolarint: idipſum pluribus locis, vt maculatum, vt mancum, vt falſum, vt ſurrepitium condemnarint: eius partes aliquas correxerint, aliquas corroſerint, aliquas euulſerint: Huic, omne propugnaculum quo mmiebatur, in Lutheranos ſpiritus, tanquam in valla phãtaſmatum pictoſq; parietes commutarint: ne prorſus obmuteſcerent, quum in ſcripturas erroribũ ſuis infeſtas impingerent, quas nihilo commodius expedire, quàm ſorbere ſaxillas, aut ſaxa mandere potuiſſent.

Hæc ergò mihi prima ratio vehemens & iuſta fuit, quæ vbi partes aduerſarias vmbraticas & fractas oſtendiſſet, animum ſanè addidit Chriſtiano, & viro, & in his ſtudijs exercitato, pro ſempiterni Regis diplomate aduerſus reliquias profligatorum hoſtium decertandi.

Guilielmus Whitakerus.

QVOD tibi ſummam in hac cauſa, quam defendis, alacritatem addidit, & ſpiritus neſcio quos, pluſquam Ieſuiticos attulit, Campiane, vt egreſſus è gurguſtio, in quo iam aliquot annis latuiſti, bellum nobis omnibus indiceres, & fortiſſimum quemque ad certamen euocares, illud in primis fuiſſe dicis, quandoquidem noſtram in cauſa diffidentiam perſpexiſti. Quid ni enim aduerſarios timidos, & tergiuerſantes, & conſiſtere nullo loco audentes, & ſibi diffidentes homo cõfidentiſſimus laceſſeres, atque acri bello inſequereris? Noſtram autem quibus tandem in rebus diffidentiam ſenſiſti? *Multa*, inquis, *ſunt, quæ aduerſariorũ diffidentiã loquũtur.* Si quidẽ au-

dacia tantum posset in religione oppugnanda, quantum in bello gerendo, hostiumque vrbe inuadenda nonnunquam valere solet, vestros illos furiosissimos impetus meritò reformidare deberemus. Quidquid enim iamdudum rabies, furor, immanitas potuit, id totũ in hoc certamine adhibuistis. Sed his telis religio & veritas minimè commouetur, nec se patitur de suo loco deturbari. Et quamquam non tam alacres promptiq; fuimus in causa optima, quàm debuimus, quàmque res ipsa postulauit, nec dum vestram aciem profligauimus, quam debellari iamdudũ oportuit, tamen vobis nunquam cessimus, nunquam pedem retulimus, nunquam ex acie aufugimus. Dic enim, Campiane, si potes, & tempora recognosce superiora: num vllam vnquam eruditam concertationem subterfugimus, num certamen recusauimus, num conditiones optionesq; vestras elusimus? at quoties sumus vobiscum palàm & apertè congressi, quotics vestra sophismata centies tepetita diluimus, quod scriptum non refutauimus, aut quod genus decertandi respuimus? Nònne tot disputationes Witembergenses, Ratisbonenses, Augustanæ, Spirenses, Wormatienses, Bernenses, Possiacenæ, Londinenses, Cantabrigienses, Oxonienses testes esse possunt locupletissimæ quo animo, qua doctrina, qua veritate causam religionis nostram propugnauerimus? Quodnam hic vnquam timiditatis diffidentiæq; signum reperire potuisti, aut quod non potiùs veræ, summæq; fiduciæ argumentum

mentum perſpexiſti? Imo hoc veſtrũ totum eſt, quando ad rem pugnamq; acceditur, ſudare, expalleſcere, totis artubus contremiſcere, & diffidẽtiam veſtram prodere & cauſæ improbitatem teſtari. Quare permultum, Campiane, falleris, ſi tibi aliquid in noſtra diffidentia preſidij poſitum eſſe putas. Si enim tuis maioribus, quibuſcum tu nullo modo es conferendus, fortiſſimè ſemper reſtitimus, tibi profectò nunquam cedemus, nec tuum dimicandi genus, quod omnes, quàm ſit puerile, intelligunt, metuemus. Verum illa, quam obijcis, diffidẽtia, dic, inquam, qualis ſit, & quàm latè pateat. Nimirũ Scripturis diffidimus, *& Sanctam Bibliorũ maieſtatẽ fœdiſſimè violamus.* Magnum hoc quidem eſt, quod dicis, crimen, & certum diffidentiæ argumentum. Qui enim, quã ſuſceperunt religionẽ, eam defendere nunquam poſſunt, niſi ſcripturis ipſis manus violentas injiciant, & codicum diuinorum ſacroſanctam authoritatem infringant, ij peſſimam & perditiſſimam cauſam habeant eſt neceſſe. Itaque concedo tibi deſperationem quandam immaniſſimam in cauſa fuiſſe vt Manichæus vetus Teſtamentum vniuerſum repudiaret, nouum delumbaret: Ebion epiſtolas Pauli omnes reſecaret: id ipſum alij etiã hætetici facerẽt. iſtis enim nihil fuit aptius ad illa mõſtra opinionum defendẽda, quàm vt illos Sacræ ſcripturæ libros damnarent.

Sed quomodo hæc, Campiane, ad tuam cauſam accommodas? aut quid nos iſtis hæreticis quos commemoras, ſimile habemus? non eſt

ingenij atque elegantiæ tuę caluniniari, & odiosa veterum hæreticorum crimina immeritò nobis infligere. Si Manichæis, si Hebionitis similes sumus, doce: si non sumus, tuam importunã calumniam atque audaciam Dominus vindicabit, nostram integritatem innocentiamq; defendet. Nam qui vnquam honorificentiùs, sanctiùs, augustiùs & senserunt semper de sacris literis & dixerunt, quàm nos, qui scripturam omnem θεόπνευστον, tanquam ipsam Dei loquentis vocem susscipimus & veneramur, eam fidei & religionis vnicam magistram facimus, in ea acquiescimus, nihil amplius tanquam necessarium salutis adiumentum postulamus? quæ si à nobis non fuisset accuratiùs & religiosiùs defensa, quàm à vobis, dignitatem iam olim suam amisisset, & tanquam emortua iacuisset. Quid enim his annis maiore negotio & cõtentione fecimus, quàm vt sacrarum literarum maiestatẽ atq; existimationẽ, à vobis indignissimè læsam tueremur? Et tamẽ tu nos audes Manichæis & Hebionitis comparare, quos in sacros libros inuolasse, & manus impurissimas, scelereq; pleniſſimas intulisse constat. *Imo*, inquis, *Epistolam Iacobi Lutherus contẽtiosam, tumidã, aridam, stramineam flagitiosius Apostata nominat, & indignam censet spiritu Apostolico.* Luthero nisi maledixeris, oleum omne profuderis, operamq; perdideris. Est enim illud esse Iesuitam, qualis tu es, impudenter & audacter cõuitiari, præcipuè Lutherum acerbissimis probris conscindere. Hæc ars vestra, hæc schola est:

eſt: hoc ſuſcepiſtis, hoc vnum agitis. Fœlix ille, quem Dominus eo honore dignatus eſt, vt homines nequiſſimos ſuos haberet inimicos. Virũ enim præſtantem eſſe oportet, quem homines improbi tam capitali odio inſectentur. Ἀποσασίαν Luthero obijcis. Vide ne hoc crimen te, Campiane, propiùs attingat. aut enim es Apoſtata, aut de religione egregiè ſimulaſti. Si verò apoſtatas deſerere ſit eſſe apoſtatam, fuit certè Lutherus Apoſtata. Etenim fures, hæreticos, apoſtatas, reliquit, ſeq; ab illa eccleſia diſiunxit, in qua diuturna religionis ἀποσασία, quam futuram Apoſtolus prędixit, inueterauerat. Qui ergo apoſtatæ eſſe nolunt, illam veſtram ἀποσασίαν fugere omnino debent. 2 Theſſ. 2. 3.

Sed Iacobi epiſtolam Lutherus parum honorificè appellat. Bene habet, crimen hoc omne Iacobi epiſtolam attingit. Non Matthæum, non Marcum, non Lucam, non Ioannem, non Paulum, non Petrum Lutherus vel verbo violat, vnã Iacobi epiſtolam nonnihil exagitat. Num hoc Lutheri duntaxat crimen fuit? num quam omnis antiquitas Iacobi epiſtolam eſt amplexa, ſolus Lutherus repulit ac repudiauit? Nequaquam verò. Nõ enim Luthero ignotum fuit, quid vetus eccleſia de hac epiſtola ſenſerit, quid iudicarit. Euſebius de illa epiſtola ſcribere diſertè non dubitauit, ἰσέον ὡς νοθεύεται, id eſt, *velim id omnes ſcire, eam epiſtolam, quæ Iacobo affingitur, eſſe adulterinam.* Quid ſcribi potuit apertius? at forſan Euſebius nõ placet. Dic verò quamobrem. Ergo Lib. 2. Cap. 23

audi Hieronymũ, quem Romanæ eccleſiæ preſbyterum fuiſſe non ignoras. *Epiſtola Iacobi ab alio quodam ſub eius nomine edita aſſeritur*. Alter ſpuriam fuiſſe confirmat, alter exiſtimari ſcribit non ab Apoſtolo, ſed ab alio aliquo fuiſſe editam. Quid ergo Luthero ſuccenſes, quem vides non repentè & temerè de illa epiſtola cœpiſſe dubitari, ſed in eo veteris eccleſiæ teſtimonium iudiciumq; ſequi? Ex his enim ſatis conſtat, primis Eccleſiæ temporibus incertam fuiſſe dubiamque iſtius epiſtolæ fidem atque authoritatem. Verùm, inquies, recepta deinceps fuit: id quod etiam Hyeronymus affirmat. Non quæram quo iure recipi poſſet temporis ſucceſſione, quæ ſemel fuit repudiata, vt quam initio fidem minimè haberet, eam tacitis hominum iudicijs paulatim obtineret. Neque de huius epiſtolæ authoritate litigabo: ſit ea quanta cuiuſquam libri eſſe poſſit. Eam nos quidem ſuſcipimus, & libris Canonicis annumeramus. Quicquid enim vel Lutherus, vel alius quiſquã de hac epiſtola ſtatuerit, eiq; non nihil detraxerit, noſtræ tamen eccleſiæ illam libenter amplectuntur & vel ab Apoſtolo, vel à viro Apoſtolico conſcriptam eſſe iudicant, Apoſtolicam certè in ea doctrinam, ſpiritumque agnoſcunt. Caluinus inquit, *Ego quia nullam eius repudiandæ ſatis iuſtam cauſam video, libenter eam ſine controuerſia amplector*. Itaque deſine nobis aliorum iudicia aſperiora voceſq; obijcere, quibus nos nullo modo conſtringimur. Quid enim alij de hac epiſtola

Hieronymus in Catalogo.

Caluin. in argument. in ep. Iacob.

epiſtola ſentiant id noſtrà nihil intereſt, qui nullam eius partem eleuamus, aut ſumma fide priuare cupimus.

At vbi iſta ſcripſit Lutherus, quæ tu nunc cõmemoras? profer nobis locum, vt tuam fidem exploremus. Præfationem ſcilicet quandam deſignas in epiſtolam Iacobi, quam ego nõ admodum multis notam eſſe exiſtimo: nuſquam enim inter ipſa Lutheri opera reperitur, in iſtã tamen præfationem incidi fortè, eamq; integram perlegi, in qua prorſus nihil horũ ineſt, quæ tu commemoras. Facilis coniectura eſt, qualem te ſimus in reliquis habituri, quem ſtatim initio mẽtiri tam inſigniter minimè puduit. Sic illam prę-fationem Lutherus ordîtur, *Epiſtolam hanc S. Iacobi, quamuis reiectam à veteribus, tamen laudo, & pro vtili ac commoda habeo.* Atque in libro de captiuitate Babyl. ſic de iſta epiſtola ſcribit: *Omitto quòd hanc epiſtolam non eſſe Apoſtoli Iacobi, nec Apoſtolico ſpiritu dignam, multi valde probabiliter aſſerant.* Hæc Lutherus de Iacobi epiſtola gauiſſimè ac modeſtiſſimè ſcripſit, quã ille nunquam contentioſam, aut aridam, aut tumidam, aut ſtramineam, vt tu affirmas, appellauit. Quanquam fateor in ea fuiſſe ſententia Lutherum, vt de huius epiſtolæ, & authore & argumento magnopere dubitaret. Tuum verò fuit, cuius ſentẽtiã criminaris, eius etiam rationes reuiciſſe. Eraſmus diſertè ſcribit hanc epiſtolam non ſapere Apoſtolicam authoritatem. Paulò mitiùs Lutherus de hac epiſtola, quàm Eraſmus iudicauit,

Vtcunque ſit, habuit in hoc iudicio conſentientem Lutherus primæ & puriſſimæ eccleſiæ antiquitatem: & tamẽ nos dimiſſo Luthero, de hac Iacobi epiſtola non aliter iudicamus, quàm ipſi vos, eíque tantum tribuimus, quantum vos tribuendum exiſtimatis. Id tibi noſtro omnium nomine ſpondeo ac promitto, quicquid ex hac epiſtola in tuo hoc certamine, quod nũc ingreſſus es, attuleris, id nos totum libentiſſimè ſuſcepturos, nec illo modo, quo tu ſuſpicaris, eluſuros. Omnia huius epiſtolæ dicta probamus, nulla repudiamus. Nam quod de ſola fide adiungis, miſerum eſt & putidum ſophiſma. Noſtrum illud dogma eſt veriſſimum & ſanctiſſimum, hominẽ
Rom.3.24.28. fola fide iuſtificari. Id Paulus planiſſimè docet, quanquam ſolius fidei diſertè non meminit. ita
Ambroſ. in epiſtolam ad Rom cap.3. Paulum antiqui patres explicant atq; interpretãtur. Ambroſius, *Sola fide iuſtificati ſunt, dono Dei.*
Baſil. de Humilitate. Baſilius πίστει μόνῃ τῇ εἰς χριστὸν δεδικαιωμένον: *Sola fide in Chriſtũ iuſtificari.* Nazianzenus,
Nazianz. περὶ ὑποταξίας Δικαιοσύνη ἐν τῷ πιστεῦσαι μόνον *Iuſtitia in ſola fide cõſiſtit.* Quid
Iacob.2.24. alias reliquorũ patrũ ſententias commemorem? Hæc Euãgelica, hæc Apoſtolica doctrina eſt: hãc ſi Iacob⁹ aut angelus cęleſtis improbat, impurus eſt, & ſceleratus, & diris omnibus deuouẽdus. At negat Iacobus hominẽ iuſtificari ex fide tãtùm, & ex operibus iuſtificari affirmat. De fide ficta, mortua, inani, ſimulata loquitur, quam plerique iactabant, eaq; ſe iuſtos eſſe falsò ſibi perſuadebant. Hanc fidem Iacobus, quàm veriùs cadauer fidei licet appellare, negat ad ſalutem ſatis

per

per ſe eſſe efficacem, & qui iuſtificatur, eum ex operibus iuſtificari oportere docet, id eſt, iuſtum comprobari, declarari, demonſtrari. Fidem enim viuam & fructuoſam eſſe oportet, quam opera neceſſariò conſequantur, vt omnes, te vera fide præditum eſſe intelligant & perſpiciant. Ita cum Paulo præclarè cõgruit Iacobus dum ille à cauſa, hic ab effectis argumentatur. In fide Paulus tanquam in cauſa proxima iuſtitiam ſtatuit, operibus Iacobus hominem iuſtificari ſcribit, hoc eſt, quemque iuſtum ſuis operibus tanquam clariſſimis teſtimonijs agnoſci, dum fidem, quam nemo aſpicere poteſt, opera, quæ ſunt manifeſta, produnt & teſtatam faciunt. Ita vides nihil fuiſſe quamobrem hoc nomine Iacobum Lutherus, aut reprehenderet, aut pertimeſceret. Atque hoc modo Iacobum Paulo cõciliauit Auguſtinus, vt nihil à nobis noui allatum intelligas. *Quaptopter* (inquit Auguſtinus) *non ſunt ſibi contrariæ duorum Apoſtolorum ſententiæ, Pauli & Iacobi, cum dicit vnus iuſtificari hominem per fidem ſine operibus, & alius dicit, inanem eſſe fidem ſine operibus, quia ille dicit de operibus, quæ fidem præcedunt, iſte de ijs, quæ fidem ſequuntur, ſicut etiam ipſe Paulus multis locis oſtendit.* Nihil ergo de fidei ſolius iuſtitia, quã à Paulo Lutherus didicit, detrahere Iacobus aut voluit aut debuit: & omnes citiùs Papiſtæ ac Ieſuitæ diſrumpantur, quã illa Lutheri de ſola fide ſententia labefactetur. *Auguſt. quæſt. 85. quæſt. 76.*

A Luthero ad Lutheri *catulos* orationem cõuertis: ſic enim viros omnibus ornamentis præ-

ſtantes ipſe canis impuriſſimus appellas: quod quamobrē facias nō intelligo, niſi quia illi veſtris epiſcopis & monachis, cæterisque tui ſimillimis furibus oblatrare nūquam deſiterūt. At quid iſti catuli admiſerunt? *Tobiam, Eccleſiaſticum, Macchabæos, atq; alios complures libros è Canone repētè diſpunxerūt.* Repentè, inquis, Campiane? ſiccine es in veterum Patrum monimētis hoſpes, vt hos libros olim è Canone excluſos neſcias? Ergo Hieronymum inſpice, atque ex illo antiquitatis memoriam repete: *Vt ſcire valeamus* (inquit Hieronymus) *quicquid extra hos eſt, inter Apocrypha eſſe ponendum. Igitur, Sapientia, quæ vulgò Salomonis inſcribitur, & Ieſu filij Syrach liber, & Iudith, & Tobias, & Paſtor, non ſunt in Canone.* Túne potes, Fratercule, hos libros in Canone collocare, quos Hieronymus veteris Eccleſiæ ſententiam, ipſamq; ſecutus veritatem eſſe in Canone negat? Verba ipſa recognoſce, *non ſunt in Canone.* è Canone, inquis, diſpunxerūt. quid ni diſpūgeremus? vt tuo vocabulo vtar: non ſunt enim, inquit Hieronymus, in Canone. Nunquid amplius deſideras? Hieronymo, Epiphanius ſuffragatur. Quando enim quorundam librorum feciſſet mentionem, quos tu à nobis diſpunctos è Canone conquereris, ſic ſcribit, αὗται χρήσιμοι μὲν εἰσι καὶ ὠφέλιμοι, ἀλλ' εἰς ἀριθμὸν ζητῶν οὐκ ἀναφέρονται. διὸ οὐδὲ ἐν τῷ ἀρῶν ἀνετέθησαν, οὔτε ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ. Hæc verba ſic Cornarius tranſtulit, *Vtiles hi libri quidem ſunt & commodi, ſed in numerum receptorum non referuntur. Quare neque in Aaron*

Hieronymus in prologo Galeato.

Epipha. in lib. de Menſur. & Ponder.

Aaron neque in Teſtamenti arca repoſiti ſunt. Sed audi adhuc ex Hyeronimo planiora, *Sicut ergo Iudith & Tobiæ & Maccabæorum libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter Canonicas ſcripturas non recipit: ita & hæc duo volumina* (ſignificat Sapientiam, & Eccleſiaſticum) *legat ad ædificationem plebis, non ad authoritatem eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.* Si hæc vetuſtatis teſtimonia neſciebas Cãpiane, tyro es in ea cauſa, in qua videri vis admodum veteranus: ſin iſta intelligebas, nimiùm es iniquus atque importunus, qui nobis deſperationem neſcio quam obijcis, quando quidem eos libros in Canonem Scripturæ non admittimus, quos neque fuiſſe admiſſos, nec eſſe admittendos clamat antiquitas. Enimuerò qui librũ Maccabæorũ ſcripſit, eum in quodam vaticinio Danielis, falſum eſſe Caietanus Cardinalis affirmare nõ dubitauit. Spiritus autẽ ſanctus nunquã falli ſolet in ſcriptura interpretanda. Nam quod iſtis nos oraculis coargui fingis, quoties de angelorum patrocinio, quoties de arbitrij libertate, quoties de fidelibus vita defunctis, quoties de diuorum hominum interceſſione diſputamus, priùs doceas oportet, firma ex iſtis libris argumẽta ad dogmatum eccleſiaſticorum authoritatẽ confirmandam ſumi poſſe, quod negat Hyeronymus, & tu nunquam poteris euincere, quantumuis omnes ad deliberationem adhibeas Ieſuitas, quàm his nos tu coarguas. Veſtram hoc quidẽ miſerrimam deſperationem arguit, qui quando non poteſtis fidei

Hieronymus præfa. in lib. Salomon.

Caiet. in Cap. 24. Matth.

veſtræ principia è libris Canonicis ſtabilire, ad Apocryphos confugitis, quorum in Eccleſia & fuit, & erit in poſterum perpetuò ambigua fides. Dominus voluntatẽ verbumq; ſuum literis conſignauit, ſuæq; Eccleſiæ commendauit. eas nos literas ſtudioſiſſimè & ſanctiſſimè colimus, ijs contenti ſumus, earum ἀυτάρκειαν defendimus. mittite tandem dubios, obſcuros, Apocryphos libros, atque ex iſtis nobiſcum de religione contendite. Sed veſtra religio extra ſacrarum literarum ripas iamdudum effluxit, atque in ſuperſtitionem quandam multiplicem emanauit. Inde fit vt non tantùm libros Apocryphos, ſed traditiones etiam ἀγράφους vndique conquiſitas Sacris Dei ſcripturis exæquetis, quo nihil audacius atque intolerabilius fieri potuit. Sed quid iſta vobis commemorem, quos minimè puduit humana omnia diuinaque iura iamdudum perfringere? Sic igitur accipe: ſi vel librum vllum, vel libri particulam, quam diuina authoritate conſcriptam & munitam eſſe conſtat, à nobis damnatam aut repudiatam euiceris, non repugno, quo minùs cauſa omni prorſus cecidiſſe videamur. Sin verò ſcripturæ corpus vniuerſum tuemur fideliſſimè, & veros libros à falſis diſiungimus, & Dei cæleſtem veritatem vindicamus atque incorruptam conſeruamus, quid noſtram tu, miſelle fratercule, deſperationem vociferaris, qui ita eſtis ipſi deſperatione proiecti, vt ſalus veſtra omnis in ſacrarum literarum deprauatione atque interitu conſtat.

Iam

Iam quod ais iſtis nos oraculis redargui, quoties *de Angelorum patrocinio, de arbitrij libertate, de fidelibus, de mortuis, de diuorum hominum intercessione disputamus*, ſunt hæc a nobis millies diſcuſſa, atque ex veris Dei oraculis accuratiſsimè iudicata. Angelorum patrocinium ſcriptura nobis proponit, ex qua docemur Deum angelos ſuos certis populis, locis, atque hominibus præfeciſſe. Hoc quidem in genere verum eſſe minimè dubitamus, eas partes angelis a Domino eſſe cõmiſſas, vt hominum ſalutem tueantur. itaque patrocinium illis quoddã minimè denegamus, ijſque tantum tribuimus, quantum nos Dominus ipſe tribuendum eſſe docuit. Hierarchias veſtras graduſq; multiplices angelorũ libenter ignoramus, atq; hanc ſcientiã vobis omnẽ permittimus, quibus hæc myſteria Diony ſius ille patefecit, ἃ μὴ ἑώρακεν (vt Pauli verbis vtar) ἐμβατεύων. Sed aliud tu patrocinium angelorum defẽdis, eoſque a nobis colendos & inuocandos eſſe ſtatuis, quod quidem ſcriptura diſertiſsimè prohibet. Paulus enim θρησκείαν τῶν ἀγγέλων damnat, & Ioannẽ angelus ſemel atq; iterum ab hoc cultus genere reuocauit, ὅρα μὴ *Vide ne id feceris: tuus ſum conſeruus, atq; vnus ex fratribus tuis: Deum adora.* Illũ verò Tobiæ Raphaelem minimè moramur, nec illos ſeptẽ angelos agnoſcimus, quorum ille meminit. Hoc totũ a ſcripturis Canonicis alienũ eſt, quod ab illo Raphaele commemoratur, & ſuperſtitionem neſcio quã redolet. De loco Eccleſiaſtici parũ labo-

Dan.10 & 12. Pſal.91.11.

Coloſſ. 2.18 Apoc.19.10 & 22.9.

Tob.12.

 ro, nec

ro, nec arbitrij libertatem credam, quantumuis hic centies affirmet, *Coram hominibus esse vitam & mortem*. Hominis enim libertatem peccato amissam esse docet scriptura, docent sancti patres, docet ipsa cuiusq; experientia. quanquam illa verba de genere humano intelligi possunt, cuiusmodi in Adamo fuerat aliquando. Ita enim antè scripsit, *Ipse a principio cùm fecit hominem permisit ipsum consilio ipsius*. Si de primo hominis statu, illaque integra & incorrupta natura, in qua sumus a Domino conditi, loquatur, verã sententiam exponit: sin verò nunc liberũ nobis facit, quales iã natura homines sumus, vel vitam, vel mortem pro nostro arbitratu eligere, nulla huius libri testimonijq; authoritate teneor, quo minùs ab hoc apocrypho dicto ad Dei explorata oracula prouocem. Maccabæorum verò librum hunc tuum minus certè curo, quẽ Hieronymus, Epiphanius, Athanasius, Cyprianus exploserunt, & ipsa synodus Laodicena repudiauit. deinde quod de sacrificio pro peccatis oblato narratur, id totũ supposititiũ atq; ascititium est. Nam neq; apud Iosephum Græcè tale aliquid reperitur, neq; in Iosepho Ben Goriõ Hebraicè, qui tamen eandem historiã conscripsit, sit vlla illius sacrificij mentio, neq; id Iudæis præceptum aut positũ in more fuit, vt sacrificia precesq; pro mortuis facerent. Postremò, ea est verborum in Græco exemplari perturbatio, vt integrã veramque sententiam vix elicias. locum ipsum in Græco codice consule: eum si mihi cõmodè

Ecclesiastic. 15 16.
Gen. 6. 5

reddas

reddas, vt aptè ſingula conueniant, ego te Græcè peritiorem fatebor, quàm putarã. Huius ego libri, loci, dicti authoritate aſtringar, vt victimas tecũ votaq́; pro mortuis faciam? Ineptus nimiùm es, Campiane, qui noſtros Academicos iſtis commoueri putes potuiſſe: alia afferas oportet, & firmiora, ſi vis in aures animoſq́; noſtros influere. iſta enim veſtra iamdudũ faſtidimus, atq; reſpuimus. Verùm an hic locus diuorum interceſsionẽ cõfirmat, quẽ tu nobis è Maccabæorum libro profers? Quis hoc præter te dixit vnquam? Aliud eſt ſacrificia pro mortuis offerre, aliud quod diui pro nobis intercedunt. Nam illud Iudæ de Onia ſomniũ, quod 2. Macab. 15. legimus, vt ſomniũ prætermitto. Sed parum refert mortuorum ſiue interceſsionẽ, ſiue ſacrificium intelligas: vtrumq; eſt tuũ: vtrumq; eſt falſum.

Hîc nunc clamas vehementiùs, *Itanè verò? tantum peruerſitatis, tantum audaciæ*, neutrum Campiane: nihil peruerſẽ, nihil audacter fecimus: & te miror ita eſſe peruerſum atque audacem, vt quos libros Deus ipſe pro ſuis minimè agnoſcit, quoſq́; à Canone pia vetuſtas diſiunxit, tu tamen in Canonem inuito Deo, inuitis ſanctis patribus, inuitis ipſis libris horrẽda peruerſitate atq; audacia fretus inferas. **Septem*, inquis, *de veteri Teſtamento codices Caluiniani præciderunt*. Impudẽs fratercule, nõne hos eoſdem Hieronymus mille annis ante Caluinum natum præcidit? Quid Hieronymo dimiſſo litigas cum Caluino, quando ſunt in eadem cauſa ambo? Iterum audi Hie-

* Ij ſunt, Baruch. Tobias. Iudith. Sapientia. Eccleſiaſt. duo Macca.

ronymum, *Quicquid extra hoc est, inter Apocrypha est ponendū*: at hi tui septem libri, quos numeras, quosq; à nobis præciſos eſſe calumniaris, extra illos ſunt, quorū Hieronymus meminit: ſunt ergo inter Apocrypha ponendi. De pleriſq; ſupra reſpondimus: Baruchum apud Hebræos nec legi nec haberi teſtatur Hieronymus, & cæteros à Canone reijcit, & ſcribit ingenuè, *quæ non habentur apud illos, nec ſunt de viginti quatuor, ſenibus procul eſſe abijciēda.* Sed vos Ieſuitæ ἀεὶ παῖδες ἐστὲ, quemadmodū Soloni de Græcis Ægyptius ſacerdos reſpōdit. Verùm Eſdræ tertium, quartumq; librum quamobrem tacuiſti? illorū te forſan puduit, vtpote quos ſomnijs plenos ſcribit eſſe Hieronymus, & tamē de his eccleſia veſtra ſingularem ſolita eſt habere exiſtimationē. atq; ex iſtis libris ſancti Patres teſtimonia nonnunquam recitant. Hos tu nunc, Campiane, de Canone repentè diſpungis? ſi relinquendos in Canone cenſes, cur Caluinianos non exagitas, à quibus illos de veteri Teſtamēto præciſos eſſe omnes intelligunt? cur quando libros enumeras ſacros de vetere Teſtamento à Caluinianis reſectos, iſtos prætermittis? aut ſi iſti ſunt Apocryphi, quamobrem cæteros eſſe canonicos exiſtimemus? Iudicium de his libris tuū ſcire per ſanè cupio. **Lutherani verò etiā* inquis, *epiſtolā Iacobi, & huius inuidia quinq; alias, de quibus fuerat aliquando & alicubi controuerſum præciderunt.* fuiſſe ergo aliquando de iſtis epiſtolis & alicubi controuerſum negare non potes. Ipſa enim lux hiſtoriæ clariſſima

Hierony. præfat. in Ierem.

Hieronym. ad Domnion. & Rogatian.

Epiſt. Iacob. Epiſt. ad Hebr. Epiſt. Iudæ. Epiſt. 2. Pet. Epiſt. 2. & 3. Ioan.

hanc

hanc tibi vocem expreſsit. Sed à quibus eſt conuerſum? nunquid duntaxat ab hæreticis? Ergo Euſebium, Hieronymum hæreticis annumerato, qui ſuum ſimul & eccleſiæ de illis epiſtolis iudicium retulerunt. Potéſne verò docere habitos olim pro hæreticis fuiſſe primis & puris eccleſiæ temporibus, qui has è Canone epiſtolas ſuſtulerunt? De Iacobi epiſtola ſatis tibi reſponſum eſt, neq; illā nos, neq; omnino vllam earum repudiamus, quas à Lutheranis præciſas eſſe criminaris. Hoc crimen noſtrū non eſt, quos tu noſti minimè eſſe Lutheranos: illis hanc litem intēde: nos harum epiſtolarum teſtimonia nulla vnquam cauillatione ſubterfugiemus. Quid potes amplius aut æquius poſtulare? Iam ergo deſine deſperationē nobis, neſcio quam, & peruerſitatem, & audaciā obijcere, tuos libros, quibus in diſputando vſurus ipſe es, ſuſcipimus, admittimus, probamus: horum iudicio ſtare volumus, ſi his nos reuincis, ſuperas.

Quod de Eſteræ libello, & tribus penè Danielis capitibus ſubiungis, calumniæ plenum eſt. Eſteræ libellum in Canone reponimus, quantum Hebraicè diuina authoritate conſcriptum eſt: fragmentum illud, quod vulgò attexi ad ſacram Eſteræ hiſtoriam ſolet, non poſſumus tanto honore dignari. Illa verò tria capita, Danielis non ſunt, de quibus lege, ſi placet, Hieronymi in Danielem præfationem: ita illa non tantùm ab Anabaptiſtis, ſed ab antiquis etiam Iudæis damnata ac deriſa fuiſſe ſenties. Sed quid nugaris,

Campiane? nunquid vos horum librorũ authoritate niti magnopere soletis? num in his fidei vestræ præsidia sunt collocata? Quid ergo nobis ex istis libris inuidiam conflare conaris, qui vt essent vel maximè Canonici, vestram tamen causam nihil adiuuarent?

Augustin. de doctrin. Christ. lib. 2. cap. 8.

Augustini modestiam laudas, *qui sacrosanctum Catalogum multò rectius, quàm vel Iudei, vel sectarij, pertexuit*. Vellem vos Iesuitæ paulò modestiores essetis, vt Augustino similiores esse possetis. Vestram enim procacitatem ac petulantiam omnes loquuntur & querũtur. At eos libros Augustinus in Canonicis numerauit, de quibus nos aliter existimamus. Equidem hoc non nego. Quid ergo? num Hieronymo cõtradicit Augustinus? Nam illos libros in numero Canonicorum esse reponendos negat disertè Hieronymus: Augustinus *totum Canonem Scripturarũ* percensurus, illos assumit atq; adiungit. Magna, vt videtur, iudiciorum discrepantia. Quos enim Canonicos esse negat Hieronymus, affirmat Augustinus; vterq; vir magnus, & optimè de Ecclesia meritus. Quid ergo respondemus Augustino, quẽ nobis opponit Campianus? Id nimirum, quod res est. *Apocryphi* enim & *Canonici* vocabulum aliter Hieronymus, aliter Augustinus vsurpauit. Qui libri non sunt Hebraicè conscripti, in Apocryphis Hieronymus relinquit. Augustinus etsi re atque iudicio minimè dissentit, tamen hoc nomen ijs potissimum libris tribuit, qui mendacijs fabulisque pleni erant, quales illo tempore per-

permulti ferebantur. Ita scribit lib. 15. cap. 22. de Ciuit. Dei: *In Apocryphis etsi inueniuntur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est Canonicæ authoritas.* Itaque librum Iudith, & Tobiæ, & Ecclesiasticum, & eiusdem generis reliquos in Canonicis numerat, quia maioris erant fidei atq; integritatis, quàm illæ in triuijs proiectæ sparsæq; fabulæ. Latiùs ergò Augustinus Canonicarum literarum vocabulum sumit, quàm Hieronymus, Apocrypharum restrictiùs: nisi fortè in re tanti momenti dissentire ab Hieronymo Augustinum de industria voluisse existimemus. Et Cardinalis ille Romanus, cuius antè fecimus mētionem, Canonicos hos libros à quibusdā Conciliis atq; Augustino dictos esse scribit, quia morum ex ijs, non doctrinæ regula peti potuit. Quod autē tantopere contendit Augustinus librum Sapientiæ extrudi extra Canonē nullo modo oportere, id ipse viderit Augustinus. Hunc librū Hieronymus nominatim extrusit, quem vos Iesuitæ Augustino soletis ateponere. Arq; ex hoc ipso loco, in quo huius libri authoritatem confirmat Augustinus, satis intelligi potest, vulgò minimè fuisse in canone receptum. Cū enim testimonium ex illo libro citasset Augustinus, *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius*, reclamatum est a nonnullis fratribus, qui aderant, *non fuisse de libro Canonicò adhibitum?* Quod illi quidem minimè fecissent, neq; huius dicti argumentum testimoniumque respuissent, si libri illius authoritas Canonica semper in ecclesia valuis-

Calet in fine comment. in histor. veteris Testamen.

De præd. sanct. cap. 2

Sap. 4

luisset. Et tamen fieri non nego potuisse, vt de hoc libro vetustas honorificentiùs senserit, quàm de cæteris Apocryphis. Etenim apud Eusebiũ animaduerto Melitonem Episcopum Sardẽsem in quadam epistola ad Onesimum, in qua sacrorũ veteris Testamenti librorum numerum atque ordinem adhibita diligentia collectum describit, hunc librum Canonicis accensuisse, nec quemquam præterea eorum, quos Apocryphos nominamꝰ, non Tobiam, non Maccabæos, non Iudith, non Ecclesiasticum, non cæteros, pro quibus tantopere dimicatis tamen ait operam se dedisse vt libros priscos accuratè pernosceret, atq; id se penitus didicisse profitetur. μαθὼν ἀκριβῶς τὰ τῆς παλαιᾶς διαθήκης, ὑπετάξας ἐπέρχεται σοι. Hinc forsan Augustinus huic libro paulò plus tribuit, nec tamen ex eo constabit ecclesiæ calculo, vt tu dicis, hunc librũ vt firmum & Canonicum robur obtinuisse. Ipso enim teste Augustino non fuit ecclesiæ calculo comprobatus: nec quidem si omnes suos ecclesia calculos contulisset, præbere illi robur potuisset, nisi suum antè propriumq; robur diuinitus habuisset.

Euseb. lib. 4. cap. 26.

Verùm qui tãtoperè de antiquitate, de ecclesiæ calculo, de Consilijs gloriaris, quid tãdem Consilio Laodicẽsi respõsurus es, in quo libros, qui sint extrà Canonẽ, legere prohibemur, eosq; solos legere iubemur, qui canonici sint veteris & noui Testamẽti? At quinam illi sunt? Nũ ij omnes, quos Synod. Tridẽtina in Catalogũ retulit? Minimè verò. Sed quos eccle-

Concil. Laodic. can. 59.

ecclesiæ nostrę pro Canonicis sunt amplexæ. Si huius Synodi sententiæ stabis Campiane, nec sapientiæ liber, nec cæterorum quisquam locum in Canonicis Scripturis inueniet. Iam ergo quid Augustinus diceret, si reuiuisceret, non admodum soliciti sumus. cõtra nos certe nihil hoc nomine potuit dicere, & si quid fuisset dicturus, patrib⁹ Laodicenis dixisset, quorum hoc de libris Canonicis decretum viderat, aut videre saltem poterat.

Iam illa tua quæ sequuntur stomachi plena sunt, in ania rationis. *Dirum hoc & execrabile perfugium* appellas. Tu nos Campiane, ex isto, si potes, exclude perfugio. ita video vndique esse tutũ ac munitum, vt tuos omnes impetus facilè perferat, ac retundat. *Etsi*, inquis, *in ore volitent suorum asseclarum. Sacerdotia nundinẽtur, declamitẽt in cõcione, ferrum in Catholicos, equuleum, crucemq́, consciscant, tamen victi, abiecti, squalidi, prostrati sunt.* Imò verò, Fratercule, hactenus Dei beneficio erecti constitimus, nec fusi vnquam fuimus à vobis, quorum nos multos exercitus iamdudum Diuina gratia subnixi disiecimus, dissipauimus, profligauimus. Et cœpit quidem iamdudum nutare vestra illa excelsa Pontificiæ synagogæ machina, ac nisi illam vos Iesuitæ strenuè fulciatis ac sustineatis, tanquam Dagon coram arca Domini breui corruet in terram. Vinci autem à vobis, quousque hanc causam defendimus, certè non possumus. Itaque bono animo, alacrique studio hanc pugnam prosequimur, nec fore dubita-

bitamus, quin Dominus rādem vos, cæteroſque nominis ſui & gloriæ hoſtes reprimat, ac pedum ſuorum ſcabellum faciat. Quod autē de Sacerdotiorum nundinationibus ſcribis, ſi quæ ſunt, veſtrorum ſcelerum reliquiæ ſunt. Noſti enim Romanæ curiæ morem, noſti ſordes, auaritiam, ſimoniam, noſti perpetuā orbis terrarū de veſtris mercaturis longè quæſtuoſiſsimis querelam. An tibi nunc vacat relicta Roma in noſtros mores inquirere: aut num domeſtica rectè habent, vt poſsis ſine verecundia reprehendere aliena? Si nunc tādem honeſtiores ac ſanctiores eſſe cœpiſtis, tamen inuſtam eccleſiæ veſtræ veteris turpitudinis maculam nulla memoria delebitis. Digni profectò ſunt, ſi qui apud nos has impuras negotiationes exercent, qui malē etiam á vobis audiant.

Sed minùs miror Sacerdotiorum nundinationes à te eſſe nobis obiectas, quando etiam de crudelitate noſtra conquereris. Deus bone, crudeles nos ſumus, vos mites? quid dicam, aut quam reſponſionem comparem? Crudelitate nihil eſſe poteſt magis inhumanum, aut virtuti Chriſtianæ inimicum. Chriſti enim diſcipuli clementes, leues, manſueti eſſe debēt, vt ſuo magiſtro ſimiles eſſe poſsint. Quid ergò? nos vobis crudeliores? nō recuſo, quin vtrorū maior crudelitas conſtiterit, eorū peior cauſa habeatur. Teſtes appello vniuerſos orbis Chriſtiani populos, qui non omnem humanitatis atq; æquitatis ſenſū exuerunt. Loquatur Italia, Germania, Hiſpa-

nia

nia, Gallia, noſtra Anglia quid cędes horrendas, quid dira incendia, quid ſupplicia exquiſita commemorem? nota eſt immanitas veſtra, & hęret adhuc recente memoria, nec vlla vnquam obruetur obliuione. Quid nos ſimile fecimus, aut quæ noſtra crudelitas tanta fuit? num quia non iugula noſtra veſtris mucronibus præbemus, non gladios in corpora recipimus, nō cerui cem deponimus, nō de vita ſpontè decedimus, vt vobis ex animi ſententia viuendi poteſtatem faciamus? Id optatis, agitis, laboratis: nos quia viuimus, & vobis reſiſtimus, crudeles ſumus. Sed huius tui criminis iniquitatem non dubito æquis omnibus ſatis eſſe perſpectam. hęc enim, quę nominas, Ferrum, equuleus, crux, flamma, veſtræ ſunt crudelitatis inſtrumenta, quæ niſi fuiſſent, veſtra eccleſia iamdudum perijſſet. His enim armis & primùm conſtituta, & deinceps aucta, & nunc defenſa eſt: hæc ſi deficiant, diu certè conſiſtere non poteſt.

Sed nunc aduerſarios paulò fortiùs premere incipis, & *quæris ab illis, verbi gratiâ, quo iure corpus Biblicum detruncent atque diripiant.* Reſpondeo. Nullam huic corpori vim facimus, nihil quod ad corporis huius naturam atque integritatem pertinet amputamus, nullam partem, nullum membrum auellimus. Non enim (vt tuis verbis vtar) veras ſcripturas exſcindimus, ſed excernimus ſuppoſititias. At id quo iudice faciamus, vis cognoſcere. Caluinum introducis reſpondentem, *Spiritu ſancto*: atq; hoc ab illo reſponſum

Instit lib. 1. cap. 7.

præscribi fingis, vt ecclesiæ iudicium subterfugiat. Si id quæris quemadmodum has literas, quas scripturas appellamus, cælestes atque instinctu diuino editas fuisse intelligamus, hoc est quo testimonio persuasi simus, sacras literas esse, quæ dicũtur, sacras literas: quæram ego vicissim abs te nec minore ratione, quemadmodum tu solem esse solem cognoscas, aut Deum esse Deum non dubites. Neq; enim minùs has esse Scripturas sacras, à Domino ecclesiæ suæ commendatas, à Prophetis, Apostolisque conscriptas, ab authoritate diuina profectas cognitum habemus, quam Lunam esse Lunam, quàm quicquã denique eorum, quæ certissima scientia comprehendimus. Hoc tibi responsum Caluinus etiam dedit, qui multa in medium proferri posse scribit, quæ facilè euincant, si quis est in cælo Deus, legem & prophetias & Euangelium ab eo manasse: & deinceps argumenta firmissima multis verbis persequitur, quæ rationi etiam humanæ de scripturarum authoritate fideque satisfaciant. Sunt ergo in libris ipsis satis multa, certa, illustria testimonia, quæ scripturarũ fidem comprobent ac commonstrẽt, vt dubitandi nullus locus reliquus sit. Sed quia sensus ratioque humana sæpenumero vacillat, atque in cogitationes ancipites variasque distrahitur, arcanum atq; internum spiritus testimonium accedere oportet, vt in scripturis solidè acquiescamus. Etsi enim externis testimonijs euicti negare præ pudore non possumus sacras literas esse Dei

Instit. lib. 1. cap. 7 Sect. 4. cap. 8. toto.

verbum

verbum, tamen tum demum certam & ſalutarem πληροφοριαν aſſequimur, quando idem ſpiritus, quo libri illi ſcripti atque editi ſunt, mentibus noſtris de ſcripturarum fide perſuaſit. Atque hic ille ſpiritus eſt, quem eccleſiæ ſuæ dominus promiſit, quiq; in fidelium cordibus habitat, atq; inſtar Sigilli obtinet. Qui hoc ſpiritu caret, quantumuis eccleſiam millies audiat, tamen incertus ſemper apud ſe dubiuſque remanebit.

Quid hic tu, Campiane, reprehendis? *Caluinus*, inquis, *Spiritum iudicem facit vt eccleſiæ iudicium, quo ſpiritus examinantur ſubterfugiat.* Eccleſiæ iudicium à ſpiritus iudicio diſcrepare non debet: idem ſpiritus & totam eccleſiã, & ſingulos fideles regit. Sed veſtra eccleſia hunc ſpiritum non nouit, itaq; de hoc ſpiritu malè iudicat. Quanquam id tibi volo ſemel reſponſum, ſcripturæ authoritatem in eccleſiæ iudicio minimè eſſe poſitã: iudicet eccleſia quicquid tandẽ volet, tamen omnibus iudicijs nũquam efficiet, vt vel qui libri Canonici ſunt, non ſint Canonici, vel qui non ſunt Canonici, pro Canonicis tamen habeantur. Suam ſcriptura fidẽ propriam habet atq; inſitam, non aſſumptam aliunde: nec ſcripturæ eccleſia maiorem authoritatem, quàm ipſi Deo ſcripturarum authori, tribuere poteſt. Verùm, inquis, *quî tum fit vt Caluinianorum ſpiritus recipiat ſex epiſtolas, quæ ſpiritui non placent Lutherano?* Eodem ſemper reuolueris atque eadem repetis, nec progrederis. Illas Epiſtolas Lutherani non abijciunt, neque è no-

uo

uo Testamento resecant : imò recipiunt, in controuersijs explicandis adhibent, in scholis, in ecclesijs interpretantur, priuatim publicéque legunt. Earum nonnullas Lutherus ipse suis commentarijs illustrauit, Illyricus omnes. De authoritate illarum epistolarum fuisse olim in ecclesia Catholica dubitatum, id verò lectores minimè celant, & causas adiungunt illius dubitationis : tamen rem ipsam, iudiciumque in medio relinquunt. Quã hic potes Caluiniani & Lutherani spiritus pugnam reperire Campiane ?

Pergis insuper hoc iudicium spiritus, quod omnium est certissimum & diuinissimú, calumniari : atq; hîc Anabaptistas, Castalionem Brentium, Kemnisium, Lutherum, Bezam inducis. his enim speras te posse spiritus authoritatem eneruare. *Anabaptistæ*, inquis, *historiam Iobi fabulã appellant, tragicis & comicis legibus intermixtam.* Quasi id ignotum sit, quàm illi improbè ac blasphemè nó de Iobi tãtùm historia, sed de cæteris etiam vniuersis vtriusq; Testamenti libris senserint. Spiritus autẽ ille Anabaptisticus amentia quædam fuit & furor præceps atq; effrænatus : quem nullus magis spiritus quàm Caluinianus & Lutheranus repressit. Quid ergo horum insaniam ad verum spiritus sancti iudicium eludẽdum profers ? *Castalion*, inquis, *Salomonis canticum nihilo pluris, quàm cantilenam de amicula & cum pedissequis aulæ colloquium amatorium, venereus furcifer, æstimauit.* Non ego id mihi sumam, vt quicquid alicubi quisquam scripserit, defen-

XIII. Serm. lib. 7.

Præf. in Cantic.

defendam: nedum vt ſim magnopere de fide Caſtalionis vindicanda ſolicitus, quem in multis magniſq; rebus erraſſe turpiter non ignoro. Tamen hoc loco iniuriam Caſtalioni factam a te video ſingularem. Nam in illo breui argumento, quod huic libro præfixit, tua hæc non habet, non Cantilenam, non Amiculam, non pediſſequas aulæ, non colloquium amatorium, non tale quicquã. Libri illius ſummã paucis complexus eſt verè, doctè, caſtè, prima hæc ſunt, *Colloquium ſeruatoris & eccleſiæ*. Iam vides & quanti hoc canticum Caſtalió æſtimarit, & quàm tua impudens calumnia extiterit. Non tibi nunc iraſci poſſum, quòd Luthero tam multa falſa & Caluino obijcis, quem non puduit in Caſtalione tã palam mentiri. *Præfat. in Apoca. Lib. 3. cap. 24. & cap. 39.* Quod adiungis de Apocalypſi, reliquis tuis ſimile eſt. *In ea*, inquis, *Lutherus & Brentius, & Kemniſius quiddam deſiderant*. Quid hoc eſt, quiddam deſiderant? Num reſpuunt, num reprobant? non potes id dicere: itaq; languidè & diffidenter loqueris, Quiddam deſiderant. Quanquam ſi Euſebium legeris, in ea nonnihil fuiſſe deſideratum, nec ab omnibus illam probatam, imò a nonnullis planè repudiatam perſpexeris. Sed quid ad nos iſta, quos tu negare non potes Apocalypſin amplecti, atq; illa miſteria non minùs quam vosipſos venerari? Et commodè quidem vobiſcum actum fuiſſet, ſi liber hic vel perijſſet, vel fide omni caruiſſet. Ita enim veſtrum pontificem, veſtram purpuratam meretricem ſuis coloribus depingit, vt ob-

vt obſcurũ eſſe non patiatur Antichriſtum.

Nunquid de Luthero amplius? *Lutherus*, ais, *quatuor Euangelia inter ſe cõmittit, & prioribus tribus epiſtolas Pauli longè præferens, vnicum deinceps Euangelium Ioannis pulchrum, verum, præcipuum decernit eſſe nominandum*. Ioannis Euãgelium Lutherus cæteris tribus anteponit, quandoquidem facta Chriſti breuiùs, concliones vberiùs perſequitur: atque Euangeliũ in doctrinæ potiùs diuinitate, quàm rerum hiſtoria conſiſtit. Non tamen negat quin reliqua ſint & pulchra, & vera, & præſtãtiſſima: nedum hoc vnum pulchrum, verumq; cenſet eſſe nominandum. Quod autem hoc loco commemoras, id etiam in argumento primæ epiſtolæ Petri inuenio. Peto autem a pio lectore vt hanc cauſam penitus cognoſcat: ita & Lutheri integritatem, & Campiani calumniam facilè perſpiciet. Quid ſit Euangelium, docet primò Lutherus: atque Euangelium nihil aliud ſignificare ſcribit, *quàm prædicationem ac inuulgationẽ gratiæ, miſericordiæq; Dei per Chriſtum Dominum, ipſius nobis morte promeritæ atque partæ*. Qui hanc Dei per Chriſtum gratiam atq; miſericordiam vel prædicat, vel ſcribit, eum Lutherus Euangelium docere affirmat. Itaque non quatuor tantùm Euangeliſtas Euangelium ſcripſiſſe & docuiſſe, ſed id omnes Apoſtolos, inprimis verò Paulum atque Petrum in ſuis epiſtolis præſtitiſſe. Atque illos ait omnium eſſe optimos Euangeliſtas, qui in eo maximè elaborarint, vt docerent, fide ſola in Chriſtum nos iuſtifica-

Præf. in nouum Teſtamen.

ſtificari: hanc enim Euangelij ſummam eſſe. Quare concludit Pauli epiſtolas rectiùs Euangelium dici, quàm quæ Matthæus & Marcus & Lucas ſcripſerunt, quia Paulus gratiam Dei in Chriſto plenius & copioſiùs deſcripſit, quàm ij tres, quorum hiſtoria in Chriſti rebus geſtis & miraculis narrandis pro maxima parte verſatur. Hæc cauſa fuit, vt Iohannis Euangelium, Pauliq́ue epiſtolas iſto nomine tribus illis Euangelijs prætulerit, in quo nec quatuor inter ſe Euangelia committit, nec Apoſtolos ſuarum rixarum ſocios aſcribit, nec aliquid peruersè aut præpoſterè dicit. Quid ni enim Paulum dicamus vim crucis Chriſti luculentiùs & illuſtriùs deſcripſiſſe in epiſtolis, quàm quẽquam euangeliſtam in hiſtoria: vt tamen interea nihil de euangelicæ hiſtoriæ maieſtate decedat? Iam non dubito quin Lutheri innocẽtiam ſatis contra tuam maledicam atq; importunam procacitatem defenderim.

Sed iterum in Lutherum irruis, quem ais non dubitaſſe *Euangeliũ Lucæ petulanti ſtylo perſtringere, quòd in eo crebriùs bona nobis virtutum opera commendentur.* Tantum in quoquam impudentiæ, audaciæ, perfidiæ? Locum illum, quem in margine notaſti, diligenter & attentè inſpexi, vt quænam illa eſſet Lutheri petulantia cognoſcerẽ. Verbum ego nullum inueni non ſanctum, non honorificum, non Luca, id eſt, Euangeliſta cœleſti dignum. Id ſibi Lutherus proponit, vt eum ſcrupulum tollat ex hominũ animis, quem *Ser. de Phariſ. & Publi.*

crebra illa apud Lucam operum mentio inijcere potuit: ne quis fortè existimet Lucam tam multa de operibus prædicare, vt aliquid fidei detrahat, aut iustitiam operibus ascribat. Hoc illud est, quod tu dicis Lucam petulanti stylo perstringere: si quid aliud proferas grauius, equidem non negabo fuisse Lutherum petulantē. Sed quæ hęc tua est Campiane, petulantia, quem nulla nec Dei, nec hominum reuerentia prohibere potuit, quin ea literis mandares atque in vulgus emitteres, quæ ipse falsissima esse non posses ignorare? Bezam etiam eadem calumnia inuoluis, quem ais: *Illud arcanum, Hîc est calix, nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur, ausum esse vt corruptum vitiatumq; traducere.* Tuam verò hanc Latinam, qua veteris, Tralationem corruptam & vitiatam esse video. Nam & illa, τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη, sic reddis, *Hic est calix, nouum Testamentum:* quando sic potius erant collocanda, *Hic calix est nouum Testamentum:* & ἐκχυνόμενον participium presens per verbum futurum retulisti, *Qui fundetur*, pro *Qui funditur.* Sed ausus non es a translatione vulgari transuersum vnguem discedere, ne in Tridentinam sanctionem incurreres. At hîc Theodorus Beza in immani crimine tenetur manifestò. Lucam enim scribit hoc loco σολοικίζειν. Quid tum verò? facinus indignum & nullo modo ferendum. Itáne verò? Quomodo ergo Hieronymum defendemus, qui Paulum scripsit *solœcismos in verbis feciſſe, nec potuisse hyperbaton reddere, sententiamq; con-*

In Cap. 3. epist. ad Ephes.

concludere? Si Paulus potuit in verbis σολοικίζειν, quid ni Lucam etiam exiſtimemus potuiſſe? ſiq; Paulum Hieronymus auſus eſt ſine ſcelere ſolœciſmi interdum inſimulare, cur minùs Bezæ licuit in Luca ſolœcophanes animaduertere? Erras enim Campiane, ſi quid hoc modo putes de ſcripturarum authoritate aut dignitate detractum. id enim Hieronymus contra planè interpretatur. Iam ergo locum ipſum Euãgeliſtæ inſpiciamus, vt quid hoc rei ſit iudicemus.

Verba ſic habent: Τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Si nihil in verbis immutas, omnemq; ſolœciſmum excludis, tum hæc poſtrema τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον ad illa prima referantur eſt neceſſe, τοῦτο τὸ ποτήριον. Hic ergo ſenſus erit, calicem hunc effuſum eſſe pro nobis. At non calix ille, ſed Chriſti ſanguis pro nobis fuit effuſus. verũ inquies, Calix pro vino ſumitur. Ergo in his verbis figurã & tropũ vel inuitus agnoſcas oportet: tamen ſoliti eſtis figurã omnẽ damnare & procul eſſe ab iſtis verbis remouẽdã maximis clamoribus vociferari. Tu verò hoc loco figuram admittis duplicem: primum enim Calicem pro vino, deinde vinum pro ſanguine interpretaris, quod ſine figura facere profectò nõ potes. Quare deſine poſthac τὸ ῥητὸν vrgere: nam ſi ad verba ipſa adhęreſcas, aut poculũ pro nobis effuſum fatearis, aut ſolœciſmum inducas eſt neceſſe. Si cũ Baſilio legimus, τῷ ὑπὲρ ἡμῶν ἐκχυνομένῳ, ſenſus eſt expeditus, vt illa verba *qui pro nobis effuſus eſt*, ad Chriſti

Baſil. in Eſthia. ἀσκητ. ὀρθ.

ſanguinem referantur. Hæc illa ſunt, quæ Campianus à noſtris hominibus contra ſcripturarum authoritatẽ ac maieſtatem admiſſa collegit, hæc noſtram diffidentiam ac deſperationem teſtari clamat, hæc vobis, doctiſſimi Academici, proponit. Nec ego certè iudicium veſtrum refugio, quos ita eſſe eruditos, prudentes, in optimis libris ſtudijsque verſatos intelligo, vt huius ineptiſſimi ſophiſtæ calumnijs ac mendacijs non metuam poſſe commoueri. Quid enim attulit, aut quid demum excogitauit, quod aut à doctrina recondita, aut lectione multiplice, aut ingenio acuto profectum videatur? Itaque huius Philiſtæi minas contemnite, quam è ſcripturis ſanctam religionem didiciſtis, conſtanter retinete, & pergite in eo curriculo, quod ingreſſi eſtis, virtutis & doctrinæ, vt fruſtra vobis Ieſuitæ ſuã inſuſurrent cantilenam.

Hactenus de ſacris ipſis libris dixit, quæ potuit, Campianus: etiam voluit dicere, *quæ nos vertendo peruerterimus*, niſi Gregorio Martino, collegæ, vt ait, ſuo, alijsque nonnullis hunc laborem relinqueret, qui id doctiùs & pleniùs præſtabunt. Itaque ſi placet Martinum illum expectemus, quem ego quidem facilè exiſtimo, niſi admodum ſit indoctus, te eſſe doctiorem. Neque verò dubito, quin verſiones noſtras ſiue Latinas ſiue vernaculas contra Martinum tuum, cæteroſque collegas defendere facilè poſſimus. Illos autem Doctorculos, quos poſtremò inſectaris, non agnoſco, nec illud crimen cuiuſmodi ſit intelligo

telligo. Sed quãdo tuus Martinus, qui nunc præclarum aliquid meditatur, prodierit, noua forsan atq; egregia multa discemus. Atq; hęc tibi prima ratio satis iusta visa est, qua tuam illam gloriosam disputationis denunciationẽ nostris Academicis probares. At multò consultiùs tibi ipsi feciſſes, Campiane, si istas rationes aut nunquam peperisses, aut partas statim obruisses. Nam antè magnificam de te existimationem illa tua nobili prouocatione concitaras: nunc quando istas ratiunculas legunt, causam fuisse nullam, quamobrem tantum tibi assumeres, intelligunt: & te meritò rident, contemnũt, explodunt. Quod ergo filio suo Archidamus inconsideratiùs cum Athenienſibus pugnanti suasit, id tibi consilij dant Academici, ἢ τῇ δυνάμει πρόσθες, ἢ τῇ φρονήματος ὕφες. Nunquam enim quisquam plus in se recepit, & minus præstitit, quàm tu, Campiane. Sed nunc quid deinceps afferas, videamus.

Edmundus Campianus.

II. Ratio. *Sacrarum literarum sententia.*

ALTERVM est, quod me quidem ad congressum incitarit, & horum apud me copiolas eleuarit, aduersarij perpetuum in scripturis exponendis ingenium, plenum fraudis, inane prudentiæ. Statim hæc Philosophi tangeretis. Itaque vos auditores expetij.

Scisciſemur ab aduersarijs, exempli gratia, quidnam sequuti nouam sectam intruxerint, qua Christus excluditur è cœna mystica. Si nominant Euangelium, accusarimus. A nobis verba sunt.* Hoc est

* Falsum: non enim Christum excludimus è cœna.

corpus meum. Hic est sanguis meus. *Qui ser-* Matth. 26.
mo visus est ipsi Luthero tam potens, vt cum etiam Marc. 14.
discuperet fieri Zuinglianus, quòd ea re plurimum Luc. 22.
incommodare Pontifici potuisset: captus tamen & Luth. in epist.
vinctus apertissimo contexu cederet, neque minus ad Argen.
inuitus Christum verè præsentem in Sacramento Matth. 8.
sanctissimo fateretur, quàm olim dæmones victi Marc. 3.
miraculis Christum Dei filium vociferati sunt. Ad-
gedum, pagella scripta superiores sumus, de senten-
tia scripti contenditur. Hanc peruestigemus ex ver-
bis adiacentibus. Corpus meum quod pro vo- Luc. 22.
bis datur. Sanguis meus, qui pro multis effun- Matt. 26.
detur. *Adhuc durissimæ partes Caluini sunt, nostræ*
faciles & explicatæ. Quid amplius? Conferte
Scripturas, inquiunt. Maximè. Conspirant euange-
lia, Paulus adstipulatur. Voces, clausulæ, tota con-
nexio, panem, vinum, insigne miraculum, cæleste Io. 6.
pabulum, carnem, corpus, sanguinem, reuerenter Matth. 26.
ingeminant. Nihil ænigmaticum, nihil offusum ca- Marc. 14.
ligine loquendi. Tamen perstant aduersarij, neque Luc. 22.
vllum finem faciunt altercandi. quid agimus? Opi- 1. Cor. 10. &
nor audiatur antiquitas, & quod nos alteris alteri 11.
suspecti non possumus, illud, omnium seculorum ve-
neranda canicies, Christo propior, ab hac lite remo-
tior, decîdat arbitrio. * *Non ferunt, prodi se aiunt.*
Dei verbum purum putum inclamant, hominum
commẽtarios auersantur. Infidiosè, inepté. Dei ver-
bum perurgemus: obscurant. Diuos testamur inter-
pretes: obsistunt. In summa, sic instituunt, nisi reorũ
iudicio steteris, nullum iudicium fore. Atque ita se
gerunt in omni quam exercemus controuersia. De
infusa gratia, de inhærente iustitia, de Ecclesia con-
spicua, de necessitate baptismatis, de Sacramentis
& Sacrificio, de piorum meritis, de spe & timore, de
peccatis imparibus, de auctoritate Petri, de claui-
bus, de votis, de consilijs euangelicis, de cæteris,
scripturas neque pancas & ponderosas Catholici
passim in libris, in colloquijs, in templis, in schola ci-

* Falsum: antiquitatem enim in hac causa testem libentissimè recipimus.

tamus

tauimus atque diſcuſſimus : eluſerunt. Veterum ſcholia Græcorum & Latinorum admouimus : abnuerunt. Quid tum denique? Doctor Martinus Lutherus, aut verò Philippus, aut certè Zuinglius, aut ſine dubio Caluinus & Beza fideliter enarrarunt. Egone quenquam veſtrûm exiſtimem tam eſſe mucoſis narribus, qui hoc artificium monitus non perſentiſcat? Quare fateor me ſcholas Academicas cupidè requirere, vt inſpectantibus vobis, calamiſtratos iſtos milites in ſolem & pulueren è ſuis vmbraculis euocatos, non meis viribus, qui cum noſtris, centeſima parte, non ſum conferendus, ſed valentiſſima cauſa, & certiſſima veritate debiliter.

Guilielmus Whitakerus.

DE ſcripturis accepimus: nunc ſequitur vt de interpretatione ſcripturarũ audiamus. Nam noſtrum in ſcripturis explicandis perpetuum (inquit Campianus) ingenium, ipſi acres ſtimulos admouit vt hunc congreſſum expeteret. Et nos tuum Campiane congreſſum iamdudum expetiuimus, quem tandem vt tecum congredi poſſemus, dominus è tuis latebris in lucẽ extraxit. Sed quodnam noſtrum illud eſt, quod dicis, ingenium? *Plenum* inquis, *fraudis, inane prudentiæ.* Sic tu de noſtro ingenio homo parũ callidus, & valde prudens iudicas. Magna quidem hęc cauſa eſt, quam nunc in manibus habes. Etenim ipſa vis & res & quodammodo anima ſacrarum litterarum in ſententia conſiſtit. Rectè Hieronymus, *Non in legendo, ſed in intelligendo ſcriptura conſiſtunt.* Et alibi, *Non in verbis ſcriptura-*

Contr. Lucifer.

In. 1. cap. ad Gala.

rum eſt euangelium ſed in ſenſu. Illi ergo pro cul dubio cauſam optimam defendũt,& præſtãtiſſimi ſunt religionis ac veritatis vindices, qui veram aç genuinam ſcripturæ ſententiam inueniunt atque retinent. Nam τὸ ἐντὸν ſatis conſtat, ad ipſam διάνοιαν τῦ ἐντὸς omnes controuerſiæ referuntur. Hic ergo huius cauſæ ſtatus eſt, vtri noſtrum germanam ſcripturarum ſententiam attingant: vós ne Ieſuitæ ac pſeudocatholici, an nos qui veſtram ſententiam improbamus. Qualis ergo veſtra ſit ſententia, paucis in genere videamus: deinde ad tua reſpondebimus. Atque id ſatis cõſtat cum ipſam ſcripturam, tum ſcripturæ ſententiam in eccleſiæ authoritate a vobis eſſe conſtitutam. Eccleſiam verò dicitis, non vniuerſam Chriſtianorum atq; fidelium multitudinem, ſed vim Eccleſiæ nomenque ad epiſcopos reuocatis. At epiſcopi poſſunt de ſcripturarum ſentẽtia diſſentire: ita incerti relinquemur, nec cui ſit adhibenda fides, ſtatuemus. Nimirum quæſtiones omnes ac controuerſiæ in Concilio generali decidendæ ſunt. Num ergo hîc conquieſcemus? Nequaquam: De concilijs enim Papa iudicare debet. Ita fit vt tandem tota ſacrarum literarum ſententia ad Papam transferatur, atque è pontificis ſcrinio eruatur. Atq; hanc ſibi ſuo iure pontifex interpretandi poteſtatem vendicat, vt ille quicquid ſenſerit, pro ſententia ſcripturæ habeatur. Hoc veſtrum eſt perpetuum in exponendis ſcripturis ingenium, plenum amentiæ, erroris, falſitatis: inane conſilij, ſcientiæ, prudentiæ.

Quàm

Quàm enim indignum eſt ſacrarum literarum ſententiam ab vnius hominis iudicio ac voce pẽdere, præſertim talis, quales pleriq́ue pontifices Romani extiterunt, indocti, ſcelerati, hæretici? Hinc illæ præclaræ interpretationes manarunt, accipite, comedite: hoc eſt, ſacerdotes miſſas priuatas celebrate: Bibite ex hoc omnes, id eſt, ſoli ſacerdotes. Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum, ergo verbi miniſtro nefas eſt vxorem in matrimonium ducere. Nolite dare ſanctum canibus, ergo populus à ſcripturæ lectione arcendus eſt. Quid alias commemorem veſtras innumeras peruerſitatis incredibilis interpretationes? Hæccine verò eſt ſcripturæ ſententia, Campiane? aut hanc ſententiam Chriſtianos omnes tanquam diuinum oraculum amplecti oportet?

Dict. 31. Tenere.

De veſtra autem interpretandi conſtãtia quid dicam? Scripturæ enim ſententiam mutabilem, variam, inſtabilem, & naſo, neſcio cui, cereo, regulæq́; Lesbiæ ſimilem facitis, vt veſtris temporibus ſemper conueniat. Ita Nicolaus Cuſanus, eccleſiæ Romanæ Cardinalis, ad Bohemos ſcribit, *Intellige, Scripturas eſſe ad tempus adaptatas, & variè intellectas, ita vt vno tempore ſecundum currentem vniuerſalem ritum exponantur: mutato ritu iterum ſententia mutetur. Non mirum ſi praxis eccleſiæ vno tempore interpretetur ſcripturam vno modo, & alio tempore, alio modo.* Quæ hæc audacia eſt æternum atque immutabile Dei verbum, cuius perpetuo vna eademq́; eſt ſententia ſic inflectere, vt ſemper eccleſiæ, hoc eſt Roma-

Pigius.

Nicol. Cuſan. epiſt. 2. epiſt. 7.

ni pontificis, libidini inſeruiat? tum ita multas
Thom. 1. q. 1. ar. 10. cuiusq; loci ſententias fingitis allegoricas, tropologicas, anagogicas, vt verum ac natiuum ſenſum fictis veſtris commentationibus obruatis. Cum hunc ſcires eſſe veſtrum in ſcripturis interpretandis morem, quo nihil peruerſius dici poteſt, auſus es noſtrum reprehendere, Campiane? at nos non aliam ſequimur rationem, quàm eam ipſam, quam & ſancti Patres præſcripſerũt, & res ipſa aptiſſimam eſſe euincit. Id enim facimus, quod Auguſtinus monuit, ex apertioribus locis obſcuriores explicamus, ſcripturæ phraſin obſeruamus, circunſtantias expendimus, ſcripturas cum ſcripturis comparamus, à fidei analogia non decedimus. Qui ſic inſtituunt rationẽ vnàq; preces adhibent, vt Dominus hunc librum conſignatum aperiat, & verum ſcripturæ ſuæ ſenſum doceat, non illis erit opus Romam curſare, & ſacrum illud pontificis oraculum conſulere, qui ſcripturarum ſenſum nec ipſe tenet, nec alios docere poteſt.

Sed nunc ad Campianum redeamus. Quid is in noſtro illo perpetuo ingenio deſiderat? & nos quibus argumentis refellit? *Sciſcitemur*, inquit, *ab aduerſarijs, exempli gratia, quidnã ſequuti nouam ſectam intriuerint, qua Chriſtus excluditur è cœna myſtica.* Chriſtum è cœna non excludimus, Campiane, nec de cœna aliter exiſtimamus, quàm nos, & Chriſtus docuit, & vetus eccleſia preſcripſit. Chriſtum integrum, Deum atque hominem ſumi à pijs in cœna confirmamus,

mus, Christi corpus comedi, Christi sanguinem bibi credimus & docemus. Qui ad cœnam accesserit, nec in cœna Christum perceperit, ei paratam esse mortem sempiternam non dubitamus. Hoccine est Christum è cœna excludere? At qui sic in cœnam Christum includit, quemadmodū vos facitis, is nouum sibi Christum fingit atque introducit, cœlum cum terra miscet, vim naturæ infert, absurda innumera admittit. Quare natiuum Christi atque humanum corpus in cælo collocamus, scripturam secuti magistram, non nouam sectam ingressi. Sic enim Petrus, *Quem oportet cælo capi vsq; ad tempora restitutionis omnium.* Huius tamen corporis vim, communionem, beneficium è cœna non excludimus, & fidei præsentem esse totum in cœna Christum defendimus. Hæc summa est sententiæ nostræ, quam ego non minus dubito veram esse scripturæ sententiam, quàm Christum esse Christum, & scripturam esse, quæ est, scripturam. Hanc tu sententiam exempli causa, seligere è nostris omnibus voluisti, quam impugnares: quod quàm peritè facias, nunc videamus. *Si nominant*, inquis *Euangelium, accurrimus: á nobis verba sunt, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Agnosco verba, sed verborum sententiam nunc quæro: vtrum ea sic exponi debeant, quemadmodū vestra ecclesia docet, panem in corpus, vinum in sanguinem Christi Transsubstantiari, an potiùs Tropicè ac mysticè, panem corporis, vinum sanguinis Christi esse sacramentum, signum, Symbolum,

Act. 3. 21.

quemadmodum nos interpretamur. Vtra nunc verior ſententia ſit, diſceptemus. De Luthero quod narras nõ expectas dum tibi reſpondeam: & multò vobis hac in re Lutherus, quàm nobis fuit infenſior aduerſarius. Tranſſubſtantiationem enim veſtram tanquam execrandum, vti eſt, Satanæ commentum ſemper damnauit. Lutherum fuiſſe hominem meminimus, qui vt vidit in plurimis verum, ita in aliquibus errare potuit: eius quæ bona ſunt amplectimur, erratis nulla lege aſtringimur.

Sed quomodo huius ſcripti ſentẽtiam explorabimus? Perneſtigemus, inquis, *ex verbis adiacentibus*. Nihil rectiùs, nihil commodiùs, nihil dici potuit elegantiùs. Et vellem ſic ſemper faceretis, quod te hoc loco facturum dicis, vt ex verbis adiacentibus ſcripturæ ſententiam exquireretis. Illa autem adiacentia quæ ſunt? *Corpus meum, quod pro vobis datur. Sanguis meus, qui pro multis effundetur*. Nimium tu quidem parcè agis, & reſtrictè, Campiane: repete, inquam, quæ præcedunt: *Edentibus illis accepit Ieſus panem, benedixit, fregit, deditq́; diſcipulis & ait, Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum: Et accepit poculum, & gratias egit, & dedit eis dicens, Bibite ex hoc omnes, Hic eſt enim ſanguis meus &c.* Sic nunc tecum, Campiane, ex iſtis adiacentibus agam. Quid Chriſtus accepit? Panem, inquies: Quid fregit? panem. Quid diſcipulis ſuis tradidit? panem. Quid illos accipere, quid comedere iuſſit? panem. Quid ſuum corpus eſſe dixit? Nunquid

aliud

aliud, quàm hunc ipſum, quem in manus ſumpſerat, fregerat, dederat, panem? Ergo quod ait Chriſtus, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, perinde valet ac ſi dixiſſet, Hic panis eſt corpus meum, Hoc poculũ eſt ſanguis meus. At panis & corpus Chriſti, poculum & ſanguis Domini nonne ſunt ex genere Diſparatorum? Doce ergo quomodo alterum horum de altero prædicari poſſit, niſi hanc tropicam eſſe prædicationem fateamur. Adhuc duriſſimæ partes ſunt tuæ, Campiane, vt tuis verbis vtar, noſtræ faciles, & explicatæ. Chriſtus enim panem, ſuum eſſe corpus apertè dixit, quod ſine figura verum eſſe nõ poteſt, vt panis cibarius propriè ſit Chriſti corpus. Hæc autem figura illa eſt, quam toties in ſcripturis reperimus, præſertim vbi aliquod ſacramentum occurrit. Ita Gen. 17. Dominus de Circumciſione affirmat: *Hoc eſt Fœdus meum inter me & vos.* tamen Circumciſio non ipſum fœdus, ſed fœderis ſymbolum fuit. Quid nunc differunt iſta, Hoc eſt fœdus meum, & Hoc eſt corpus meum? Illud Metonymicè intelligendum eſſe non potes negare: nec ego hoc ſimiliter eſſe interpretandum poſſum dubitare. Ita de Agno legimus, *Paſcha eſt Iehouæ:* Quamquam agnus non ipſe Trãſitus erat, ſed illius beneficij memoriam recolebat. Ita Paulus, *Petra erat Chriſtus*, Atq; vti petra illa Chriſtus fuit, ita panis hic myſticus corpus eſt Chriſti. Adhuc tuæ partes nihilo ſunt meliores. Quid amplius? *Conſpirant*, inquis, *Euangelia, Paulus aſtipulatur.* Sen-

Gen.17.10.

Exod.12.11.

1.Cor.10.4.

1. Cor. 11. tentiam Paulus tuam funditus euertit. Quando enim de hoc sacramento loquitur, in vna verborum complexione, panis nomen quater posuit, etiam post Consecrationem: vt satis constet, quamquam corpus Domini dicitur, propriam tamen panis naturam retinere. Tum adiungis, *Voces, clausula, tota connexio, panem, vinum, insigne miraculum, cœleste pabulum, carnem, corpus, sanguinem reuerenter ingeminant.* Næ tu pudicè admodum & reuerenter ista disputas. Quanto panem & vinum sæpius ingeminant, tantò plures tibi plagas infligunt. Nullum enim nec panem, nec vinum, sed harum rerum inanes quasdam & pensiles in sacramento qualitates reliquas esse contendis. Insigne autem miraculum non agnosco, & tibi cum Augustino respondeo, *Honorem, tanquam religiosa, habere possunt: stuporem tanquam mira non possunt.* Cæleste pabulum in sacramẽto pijs omnibus paratum ac propositum esse nulli negant: sed vos istas cælestes sanctasq; epulas, quibus animæ nostræ ad vitam æternam pascuntur, profanas, & communes facitis, quãdo Christum vt cibos cæteros percipi sumiq; posse fingitis, non à pijs tantum, sed ab ipsis etiam sceleratissimis hominibus, quod horrendum est, insulsum, insanum. De carne, corpore, sanguine fateor? Quia enim sunt harum rerum sacramenta, ipsis rerum nominibus appellantur. Nam signa, vt inquit Augustinus, res ipsæ dicuntur quarũ signa sunt. *Nihil*, inquis, *ænigmaticum, nihil offusum caligine loquendi.* Equidem nullum est in verbis

De Trinit. lib. 3. cap. 10.

ænigmã,

ænigma, nulla caligo. Quidquid eſt ænigmatis, id non in ipſis verbis, ſed in veſtra ſententia ineſt, quam nec decem Apollines ſic poſſunt euoluere atque expedire, vt ſibi ſingula conſtent ac conueniant.

Quid ergo nunc ſupereſt, vt horum verborum certam aliquando ſententiam comperiamus? *Opinor*, inquis, *audiatur antiquitas*. Sanè non repugno. Nullam enim in hoc iudicio antiquitatem refugio, nullum concilium, nullum patrem, nullum omnino ſynceræ vetuſtatis monimẽtum repudio. Nam illa, quam dicis, veneranda Canicies recentem hunc tuum Tranſſubſtantiationis fœtum qui nuper admodũ è cunis erupit, nõ potuit aſpicere. Hoc monſtrum, ſi ſancti illi patres ac ſenes venerandi viuerent in terris, non agnoſcerent, nõ aſpectum ferrent, in vltimas oras deportãdam iudicarent. Quod ergo ais, *Non ferunt, prodi ſe aiunt*, ludis. nec quicquam dicis ad rem. Ferimus enim, nec vllam timemus proditionem: & te vltrò ad hanc Caniciem tanquàm in Ariopagum prouocamus. Itaque, ſi placet, ab iſtis venerandis patribus ſciſcitemur, quid illi de verbis iſtis, quæ tu exempli gratiâ in medium attuliſti, iudicent. Omnium ſententias colligere non eſt neceſſe: vnum aut alterum, exempli gratiâ, interrogemus. Tertullianus, *Profeſſus*, inquit, *ſe concupiſſe edere Paſcha vt ſuum, acceptum panem & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt figura corporis mei?* Tertulliani agnoſcis & verba & ſenten-

Tertul. lib. 4. contra Marcion. Auguſt. in Pſal. 3.

Augustin. in Psal.3. tiam. Augustinus: *Iudam adhibuit ad conuiuium: in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis suis commendauit.* Et in alio loco, *Non enim Dominus dubitauit dicere, Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui.* Atque vt intelligas hoc fuisse perpetuum Augustini in his verbis exponendis ingenium, eumque longè aliter, ad vos, de percipiēda Christi carne statuisse, audi quid in libris de doctrina Christiana scribat, vbi de phrasi scripturæ iudicanda præcipit. *Si*, inquit, *Flagitium aut facinus videtur iubere, aut vilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est locutio. Nisi manducaueritis, inquit Christus, carnem filij hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis. Facinus & flagitium videtur iubere. Figurā est ergo, præcipiens passioni Domini esse communicandum.* An tu hanc caniciem deliram esse censes? nunquid non enucleatam hoc par senum sententiam dixit? Iam ergo tuæ partes multò sunt quàm antè duriores. Sed isti forsan nimiùm antiqui sunt: paulò recentiores audiamus. Theodoritus homo græcus & doctus ita scribit in Dialogis: *οὐδὲ γὰρ τὰ μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίστανται φύσεως.* i. *Symbola mystica non amittunt propriam naturam.* Hæc sententia tuam transsubstantiationē prorsus iugulauit. Si enim propria natura maneat, nihil profectò Transsubstantiari potest. Panis autem naturam propriā ac pristinā retinet, ergo Transsubstantiatio nulla fuit. Theodorito Macariū adiūgā, cuius Homilias Morelius è regia Bibliotheca depromptas græcè edidit: & Monachū credo ipse

De doctr. Christ. lib.3. cap.16.

Theodor. A- σύγχυτος.

Contra Adimant.cap.12.

ipſe Fraterculus non reſpues. Is ita habet, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ προσφέρεται ἄρτος καὶ οἶνος, ἀντίτυπα τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος. *Offertur*, inquit, *in eccleſia panis ac vinum, exemplaria carnis eius & ſanguinis.* Itáne, panis & vinum, inquis? at panis in carnem, vinum in ſanguinem iamdudum trāſijt. Siccine Monachum loqui oportuit? etiam exemplaria vocas tā frigido vocabulo? Ignoſce Campiane: Monachus ille nunquam tuo more loqui conſueuerat: nec dum tua Tranſſubſtātiatio percrebuerat. Quid nunc ais? hæc tibi canicies placuit? Si nō acquieſcis, integrū erit tibi ad quemuis ex illo omni ſanctiſſimorum patrum venerādo cōſeſſu prouocare. Nullum, nullū, inquā, eximo. neq; enim dubito quin his iudicibus tuę partes ſint ſemper futuræ deteriores. Deſine ergo nos iniuſta poſthac calumnia vexare, & nuda patrū nomina iactare. Patres enim cū in hac cauſa, tum in plerisq; alijs planè ſunt noſtri. Quāquam de patribus, quorū tu ſæpe multos meminiſti, legiſti, credo, perpaucos, ſic tibi reſpondeo: Nos patrum non ſeruos eſſe, ſed filios. Quando ex lege atq; authoritate Diuina nobis aliquid prę ſcribunt, tāquam parētibus obtemperamus: Si quid contra cæleſtis doctrinæ vocem præcipiunt, non illis, ſed Deo auſcultandum eſſe didicimus. Vos tanquā mancipia & abiectiſſimi ſerui dicta patrū vniuerſa ſine iudicio & ratione arripitis, crucem, opinor, aut verbera metuentes, ſi quid exciderit.

Macar. homil.

In ſumma, inquis, *ſic inſtituunt, niſi reorum iudicio ſteteris, nullum iudicium fore.* Hoc verò vobis,

multò rectiùs conuenit. Nullum enim iudicium, niſi pontificis, eccleſiæq; Romanæ recipitis. At illam eccleſiam, illumq; pontificem reum iamdudum maximorum criminum facimus, & lis nobis cum illo diuturna fuit. Æquúmne iam poſtulas, vt illius & rei & aduerſarij iudicio ſtemus? Eramus certè digni, qui litem perderemus, ſi tã inepti litigatores eſſe vellemus. Quantò rectiùs Auguſtinus, *Scripturarum authoritatibus, nõ quorumcunq; propriis, ſed vtrisq; communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet.* Harum vos iudicio, nõ noſtro ſtare volumus. Iam quæ deinceps cõmemoras, prætermitto: iſta enim nobis alio in loco repones. Quod ais vos *Scripturas neq; paucas, & ponderoſius citauiſſe*, illas nos ſcripturas appendimus ſuis ponderibus, atq; ad id quod inſtituiſtis probandum leues nimiùm comperimus: & vos quidem numerare potiùs, quàm appendere ſcripturas ſoletis. At eluſimus: nequaquam, ſed à veſtris calumnijs vindicauimus. *Veterum etiam*, inquis, *ſcholia Græcorum & Latinorum admouimus*: fateor, ſed iſta tela nos è manibus veſtris extorſimus, atque his nunc caſtra veſtra oppugnamus. *Quid tum*, ais, *deniq; Lutherus, aut Philippus, aut certè Zuinglius, aut ſine dubio Caluinus & Beza fideliter enarrarunt*. Dic Fratercule, quid ſit, quo minùs horum, quos nominas, ſinguli tam potuerint ſcripturas fideliter enarrare, quàm ij, qui ſæculis aliquot anteceſſerunt? quid iſtis defuit, quod illi habuerunt: quæ ars, quæ lingua, quod ſubſidiũ? Horum certè

Contra Maxim. lib. 3. cap. 14.

certè nullus est, qui nō Iesuitarum vniuersam nationem doctrina, atq; omni laudis genere longè superarit.

Sed quid ego hæc clarissima virtutis ac religionis lumina, cum vestra illa doctorum hominū fece comparo? Hæc iam altera ratio fuit, *cur Scholas Academicas cupidè requireres.* Si tam cupidè requirebas, Campiane, sicut videri vis, miror tam diu in via substitisse. Non tibi scholæ, sed tu scholis nostris defuisti. Si posthac veneris, in nostris scholis qui tecum in omni literarum genere contendant, multos repereris. Atq; hic tibi locus de Sacrarum literarū sententia cōclusus est.

Edm. Campianus.

III *Ratio.*

NATVRA ECCLESIAE.

Apoc. 2. Psal. 7. Isa. 1. & 35. Cant. 6. Matth. 13. Ephes. 5. 1 Cor. 12. 1. Tim. 3. Io. 14. Matth. 16. Matth. 18.

AVDITO Ecclesiæ nomine, hostis expalluit: Sed tamen excogitauit quiddam quod a vobis animaduerti volo, vt falsi ruinam & inopiam cognoscatis. Seserat in Scripturis tum Propheticis, tum Apostolicis, vbique honorificam Ecclesiæ fieri mentionem: vocari ciuitatem sanctam, fructiferam vineam, montem excelsum, directam viam, columbam vnicam, regnum Cæli, sponsam & corpus Christi, firmamentum veri, multitudinem illam cui spiritus promissus instillet omnia salutaria: illam, in quā vniuersam, nullæ sint vnquam fauces diaboli morsum latiferum impacturæ: illam, cui quicunq; repugnet, quantūuis ore Christū predicet, non magis Christo, quàm publicanus aut ethnicus, potiatur. Non est ausus cōtrauenire sonitu, videri noluit Ecclesiæ quā toties Scripturæ cōmemorant, refragari, nomē callidè retinuit, rē ipsam funditus, definiendo sustulit. His enim proprietatibus delineatis Ecclesiam, quæ penitus ipsam occultant, & dimotam à sensibus, tā-*

Scriptura faciē honorificā mētionē ecclesiæ: ergo Romana Ecclesia, est illa Christi vera ecclesia, de qua toties scriptura meminit.

* Falsum: nostra enim definitio verā ecclesiā cōstituit.

quam idéam Platonicam, ſecretis obtutibus hominum perpaucorum ſubijciant, eorum tãtummodo qui ſingulariter affłati, corpus hoc aëreum intelligentia comprehenderent, & huiuſce ſodalitatis participes ſubtili quodã oculo luſtrarent, Vbi candor? Vbi ſimplicitas? Quæ ſcripturæ, quæ ſenſa, qui patres hoc penicillo depingũt eccleſiam? Suns Chriſti ad Aſiaticas eccleſias, ſunt Petri, Pauli, Ioannis, aliorum, ãd diuerſas epiſtolæ: frequentes in Actis Apoſtolicis inchoantur & propaguntur eccleſiæ. Quid iſtæ? nũ ſoli Deo & ſanctis hominibus, an Chriſtianis etiam cuiuſcunq; generis manifeſtæ? Sed profecto, durum telum neceſſitas eſt. Ignoſcite. Nam qui* ſeculis omnino quindecim, non oppidum, nõ villam, non domũ reperiunt imbutam doctrina ſua, donec infelix monachus inceſto connubio votam Deo virginem funeſtaſſet, aut Heluetus gladiator in patriam coniuraſſet, aut ſtigmaticus perfuga Geneuã occupaſſet: Ij coguntur eccleſiam, ſi quam volent, in latebris venditare, & eos parentes aſſerere, quos nec ipſi nouerint, neq; mortalium quiſquã aſpexerit. Niſi forte gaudent maioribus illis quos hæreticos fuiſſe liquet, vt Aerio, Iouiniano, Vigilantio, Heluidio, Iconomachis, Berẽgario, VValdenſibus, Lolhardo, VVieleſo, Huſſio, à quibus peſtifera quædam fragmenta dogmatum emendicarint. Nolite mirari ſi fumulos iſtos non persimui, quos modò ad meridianam lucem venero, minimè fuerit laborioſum diſpellere. Hæc eſt enim noſtra ſermocinatio. Dic mihi, ſubſcribis, eccleſiæ quæ ſeculis anteactis viguit? omnino. obeamus ergo terras & tempora: cui? cætui fidelium. quorum? nomina neſciuntur: ſed conſtat plurimos extitiſſe, conſtat? quibus conſtat? Deo. quis dicit? nos, qui diuinitus edocti ſumus. fabulæ. qui credam? ſi arderes fide, tam ſcires hoc quàm te viuere.

Cal. Inſt. lib. 4. ca. 1. nu. 3. & 7.

Eccleſiæ particulares ſunt viſibiles: ergo Catholica eccleſia eſt viſibilis.

Apoc. 1. 2. 3. Act. 8. 10. 11. & ſeq.

* Falſum: noſtra doctrina ab ipſo Chriſto per fideles ſingularum ætatum ad nos permanauit.

Lutherus.

Zuinglius.

Caluinus.

Henri. Pantal. In Chronogr.

Spectatum admiſſi riſum teneatis?

Iubari Chriſtianos omnes adiungere ſe Eccleſiæ, cauere ne ſpiritali gladio trucidentur, in domo Dei

pacem

pacem colere, huic animas credere columini veritatis, isthic querelas oēs deponere, hinc eiectos habere pro ethnicis, nescire tamen tot centenis, tot homines, vbinam illa sit, quiue huc pertineant? Vnum illud crepare in tenebris, vbi vbi sit Ecclesia, tantūmodo sanctos & in æthera destinatos eâ comineri? Ex quo fit, vt siquis imperium sui presulis detractare velit scelere soluatur dummodo sibi persuadeat presbyterum in crimē incidisse, & ab Ecclesiæ protinus excidisse. Cum scirem aduersarios talia cōminisci, quòd nullius ætatis .ecclesiæ consuessent, & orbatos tota re, velle tamen inter angustias vocabulum possidere, solabar me vestro acumine, atq; adeo mihi pollicebar fore, vt quamprimum huiusmodi technas ex ipsorum confessione cerneretis, statim homines ingenui & cordati stultas argutias in vestram intextas perniciem discinderitis.

Guil. Whitakerus.

QVid nūc deinde affers Campiane? Naturam ecclesiæ proponis, in quo præter legitimā illam leuiter & pueriliter declamitandi consuetudinem tuam, nihil adducis aut nostris Academicis, aut existimatione tua dignum. De ecclesia multæ sunt quæstiones, maximæq; cōtrouersiæ, & nunc penè omnes de religione disceptationes ad hunc locum referūtur. Catholici enim vestri turbulentis aliarū disputationum procellis iactati in isto ecclesiæ portu libēter cōquiescunt. Hic habitant, hîc salutis & victoriæ spes omnes deponūt, hîc se abdunt quoties è pugna victi excedunt. Itaq; hoc perfugium omnes quanta possunt arte cōmuniunt, & præsidijs vndiq; conqui-

sitis firmant. Quo magis mihi mirum videtur, te, à quo omnia summa expectantur, hoc loco tam exilem & inanem extitisse. Nihil enim doces, nihil concludis, nihil pro tua ecclesia aduersus nostrã profers, quod in se vim vllam habeat, aut argumentũ. Sed opinor hãc fuisse tuam leuis armaturæ primam excursionẽ: deinceps forsan cominus ages. Tamen persequar ego te tuis vestigijs, vt si consistentẽ alicubi reperero, comprehendã.

Audito, inquis, *ecclesiæ nomine, hostis expalluit.* Imò erubuit Campiane, quãdo sensit tam castæ sanctæq; matronæ tã improbè à vobis ac petulanter illudi, ecclesia vos semper à se repellit, & sibi vobiscum nihil fore commercij profitetur: illam tamen vt proci nimiũ audaces ac importuni ambire nõ desistitis. Cur expalleſceret, causa nulla fuit, nisi quia illi à vobis tam tetris latronibus malè metuit. *Sed tamen*, ais, *excogitauit quiddam, quod a vobis animaduerti volo.* Magnum aliquid opinor, narrabis ac inauditum: & gestio hoc tuũ *quiddam* scire, quid sit, quod vereor ne planè nihil sit, vt magno conatu murem tandẽ peperisse videaris. Nam quæ hîc ecclesiæ ἐγκώμια commemoras ea, & agnoscimus, & multò etiam plura prædicamus: sed illa vestræ ecclesiæ parũ profectò cõueniunt aptèq; congruunt. Est enim meretrix Babylonica, palmes à vera vite resectus, spelunca latronũ, via ampla ad interitum perducẽs, regnum inferorum, corpus Antichristi, errorum colluuio, Mater magna scortationũ, ecclesia impiorum, è qua excedere Christianum quemq;

oportet

oportet,quam Christus miserè perdet aliquãdo, eiq́; scelerũ omniũ meritas pœnas imponet.Frustra ergo ecclesiæ laudes enumeras, nisi illas tuæ ecclesiæ proprias esse demonstras, quod tu quidem,quousque Roma steterit,nunquam efficies. *Videri noluit*, inquis, *ecclesiæ refragari,nomen callidè retinuit,rem ipsam funditus Definiendo sustulit.* Ecclesiam,Campiane,tãquam matrem colimus ac veneramur,cuius & nomen retinemus,& rem ipsam definiendo illustramus.Vos ecclesiam iam olim amisistis, ecclesiæ nomẽ,inanemq́; titulum venditatis. Non placet tibi nostra ecclesiæ Definitio.Quid ita?ijs enim ecclesiam proprietatibus delineamus,quæ penitus ipsam occulãt.Ecclesiæ proprietates illas ascribimus,quæ veram ecclesię naturam continent, quæ si adsint ecclesiam constituunt,& tollunt si auferantur.Sed quęnam illę sunt proprietates, quibus tu ecclesiam occuli dicis? Id nos veræ ecclesiæ propriũ esse iudicamus, vt verbum Christi audeat ac conseruet, vt ijs sacramentis integrè pureq́; vtatur, quæ Christus ecclesiæ suæ tãquam & sui in ecclesiam amoris, & ecclesiæ vicissim erga ipsum obseruantiæ monimenta abiens reliquit. Istas nos ecclesiæ verissimas atq; ἰδιωδεῖς proprietates esse defendimus, atq; hanc tu Definitionem in natiuis ipsius rei, quam definimus, insitisq́; principijs constitutam nũquam euertes. Quid hic est quod ecclesiã occultat?Num verbum Dei,num Sacramẽta ecclesiam occulunt? imò ista sunt quæ ecclesiã in clarissima & quasi meridiana luce constituunt, hæc

vitam, hæc vires, hæc valetudinẽ ac colorem ecclesiæ præbent: hæc tolle, nihil nisi ecclesiæ cadauer relinques. Quid tu hîc nobis de corpore aërio somnias? quasi nos ecclesiam in terra posse negemus inueniri. Semper & fuisse in terris, & futuram deinceps ecclesiã nõ dubitamus: quamquam eius aspectum aliquãdo illustrem, vt conspici ab omnibus possit, aliquãdo tanta caligine, vt vix agnoscas, obscuratam esse fateamur. At tibi nulla ecclesia placet, nisi quæ perpetuò floret, atq; in omnium hominũ oculis versatur, quæ longam & ab ipsis initijs deductam episcoporũ successionem retinet, quæ Romano pontifici paret. Nimiùm tu nunc ferò venisti Campiane, vt hæc nobis, delirãtium papistarum insomnia narrares: plus millies audiuimus, diluimus, discussimus. An tu enim te nobis posse putes persuadere, eum esse ecclesiæ statum, vt nequeat obscurari, vt nihil perfidia, nihil hostes, nihil Antichristus valeat? Delere hi quidem ecclesiam nunquã possunt, in angustias compingere, ac compellere in latebras possunt. Ecclesiam Augustinus lunæ similem esse dixit, quæ nunc tota lucet solis incensa radijs, nunc luminis magna parte priuatur, nunc lumen omnino nullum ostendit. Ita ecclesia interdum lumine clarissimo illustratur, interdum obscurior apparet, interdum vix apparet quidem, & omnino in magna luminis accretione ac diminutione versatur.

Augusſt. epist. 48.

Vis id tibi exemplis faciam manifestum. Dauide rege & Salomone, floruit apud Israëlitas illu-

illuſtris eccleſia: at Acabo dominante, vſq; adeo fuit eccleſiæ Iſraëliticæ aſpectus obſcuritate infuſcatus, vt diuiniſſimus Propheta Elias præter ſe neminem eſſe relictum quereretur. Si eccleſiæ illius tãta vaſtitas eſſe potuit, vt ex omni illo piorum hominum numero nullus omnino reliquus eſſe videretur (etſi quidem reliqui erant re permulti) mirum eſſe non poteſt in regno Antichriſti, qui omnes Acabos & Iezabelas immanitate ſuperat, ita fuiſſe direptã eccleſiam, vt mira eſſet fidelium ſolitudo. Neq; tamen in iſta religionis & eccleſiæ vaſtatione efficere potuit Antichriſtus, quin multæ χιλιάδες & μυριάδες ſanctorum remanſerint, qui genua Beſtiæ nunquã flexerint, nec ſignum eius inuri ſibi permiſerint. Deſcendamus ad illud tempus, in quo Chriſtus in terris egit, & Hieroſolymitanæ eccleſiæ ſtatum conſideremus. Nulla enim eccleſia Romanæ ſimilior eſſe poteſt, quàm illa, cuiuſmodi tum fuit, quando Chriſtus ſalutis noſtræ negotium procurauit. Erant ſcripturæ, erat populus legis ſtudioſus, erat templũ, erant Leuitæ, erant ſacerdotes, erat pontifex maximus. Quid hîc videri potuit ad integrã eccleſiam defuiſſe? Chriſtus tandem prodit in mediũ, & ſalutis nuncium affert: hunc Chriſtum Dei filium, patris legatum, cæleſtis doctrinæ magiſtrum, ſalutis authorem hæc ipſa eccleſia odit, inſectatur, maledicit, poſtremò occidit. Illa ergo eccleſia fuítne Campiane, vera eccleſia, an non fuit? Si fuit, Chriſtum ergo vera eccleſia odit, & morte dignum iudicauit. Si non fuit, tum vbi tã-

1. Reg. 19. 10. Rom. 10. 3.

dem & quæ fuit? Nam Christus initio numerum habuit perexiguũ, vt si cum Christo fuisse ecclesiam responderis, in illud ipsum incideris, quod in nobis reprehẽdis. Iam si Hierosolymitanæ ecclesiæ contingere potuit, vt quanquam ecclesiæ nomen suo iure & longissima successione possideret, tamen reuera nihil aliud esset, quàm antrum & spelunca latronum, non video quid sibi Romana ecclesia vendicare possit, quominus etsi ecclesiæ laruam, & nomen, & vestes retinet, corpus tamen ipsum iamdudum amiserit. Quid si enim Lutherũ Romana ecclesia damnauit? ideóne hæreticus erit Lutherus, illa Catholica ecclesia? at Christũ Hierosolymitana trucidauit, quem cum suis fuisse ecclesiã vellent negare, si possent, vt sese ex istis salebris, in quas inciderũt, expedirent. Verùm forsan in Christi noua ecclesia nihil tale posse euenire inquient. At Paulus antequam
2. Thess. 2. Christus ad iudicium venerit ἀποστασίαν futuram prædixit, quam patres antiquissimi de religione atque ecclesia intelligunt. & Christus de suorum
Luc. 18. 8. paucitate vaticinatur clarissimè: *Quum venerit filius hominis, num reperturus est fidem in terra?* Si fides vix vlla in terris remanebit, & ecclesia sine fide dici ecclesia nõ potest nisi ἀμφιβόλως, sequitur quãdo Christus venerit, perexiguũ fore numerũ eorũ, ad quos veræ ecclesiæ nomẽ pertineat. Habes nunc scripturas, quæ hoc penicillo ecclesiam depinxerũt, nisi tu te existimas ecclesiam meliùs posse depingere, quã ipse Spiritus sanctus potuit, qui longè alijs coloribus atq; alio penicillo verã

eccle-

ecclesiam depinxit, quam tuam video esse depictam: in qua prȩter pictos parietes nihil supereſt. *Verùm sunt*, inquis, *Christi ad Asiaticas ecclesias sunt, Petri, Pauli, Ioãnis, aliorũ ad diuersas ecclesias epistolæ, frequẽtes in actis Apostolicis inchoantur & propagantur ecclesiæ.* Quid tum Campiane? quid ex istis efficere cogitas? fuisse has nõ soli Deo, sed Christianis etiam manifestas? Quis id vnquã negauit? Asiaticæ illæ ecclesiæ, ad quas Christus, Corinthia, Philippensis, Thessaloniçẽsis, Colossensis, ad quas Paulus epistolas dedit, particulares erãt ecclesiæ & aspectabiles. An nos vnquam id sumus visi dubitare, possit ne aliqua ecclesia esse manifesta? At eas omnes singulares ecclesias quæ purum Dei verbum profitentur, eosq́; ritus exercent, quos Christus præscripsit, aspectabiles vocamus & manifestas. Ita sunt Dei beneficio multę hodie manifestę ecclesię in Anglia, Scotia, Germania, Gallia, cæteriſq́; gentibus Christianis, quas vobis Iesuitis dolet esse tam manifestas. Sed cuiusmodi hoc est? Illę ecclesię ad quas Christus & Apostoli scripserũt erant manifestę: Ergo, ecclesia Catholica semper erit manifesta. Hanccine Romæ in illa præclara Iesuitarũ schola Dialecticam didicisti? hæc te Campiane nostris Academicis probaturum putauisti? Sed vbi nunc illæ sunt ecclesiæ, quæ tunc ita fuerunt manifestæ? Ostende mihi Ephesinam, Smyrnensem, Pergamenam, Corinthiam, cæteras. Nunc istæ nusquam apparent, & ecclesiæ esse desierunt. Quod istis ecclesijs vidimus euenisse, doce non posse in

Romanam eccleſiam cadere. Atq; vt eſſet Roma ξύμη, eccleſia tamen ſalua remaneret, quam nulli vrbium aut imperiorum interitus obruere poſſunt. Et florēt nunc ampliſſimę eccleſiæ, quę veſtram pſeudocatholicam eccleſiam multitudine penè exæquant, veritate certè ſuperant.

Verùm, ais, *ſæculis quindecim non oppidum, non villam, non domum reperire poſſumus imbutam doctrina noſtrâ.* Id verò falſiſſimum eſt Campiane. Temporibus enim Apoſtolicis omnes eccleſiæ, omnes vrbes, omnia oppida, familiæ omnes eandem fidem ac religionē coluerunt, quā nunc nos profitemur. Deinceps paulatim doctrinæ puritas corrūpi cœpit, & varia ſuperſtitio latiùs manauit cui tamen patres ſanctiſſimi quantū poterant re-
2. *Theſſ.* 2. 7. ſtiterūt, quouſq; illud myſteriū iniquitatis, quod
1. *Ioan.* 2. 18. ętate etiā Apoſtolica radices egerat per omnes eccleſiæ partes permearat, & totam tandem eccleſiam occuparat. Efficere tamen ſceleratus Anthichriſtus nūquā potuit, quin ſanctorum multitudo magna remaneret, quiq; erant ad vitā ſempiternam conſcripti, ab impuris ac nefarijs Antichriſti ſacris abhorrerēt. Etenim in ipſa Romana eccleſia, etiam peſſimis temporibus, tamē multi ſemper reperti ſunt, qui dominū Deum patrum ſuorum colerēt, nec ſe infanda idololatria cōtaminarent. Teſtis eſt omnium temporū hiſtoria, quam ego nunc perſequi potui, ſi neceſſe eſſet, & domos, villas, oppida, vrbes, regiones nonnullas cōmemorare, in quibus eccleſiam Chriſtus frequentē & copioſam habuit. Græci profectò nū-

quam

quam adhuc induci potuerunt, vt se ad vestram ecclesiã adiungerent: & à vobis non minùs auersi sunt, quàm nos sumus. Et tamen sic ista fingis, quasi põtifex Romanus totum terrarũ orbẽ imperio suo nõ ita pridem complexus fuerit, donec infelix monachus, vt inquis, incesto cõnubio votã Deo virginẽ funestasset, aut Heluetus gladiator in patriam coniurasset, aut stigmaticus perfuga Geneuam occupasset. Perge, inquã, Campiane optimo cuique maledicere atq; omnia conuicia facere: effunde vniuersum acerbitatis tuæ virus, quãdoquidem in illos te fore emissarium recepisti. Lutheri nomen in libro iustorũ cõscriptũ est, eiusq́; erit memoria apud pios omnes perge tuò sacrosancta, Tua verò maledicta nullũ habẽt aculeũ, nullũ vulnus faciũt. τὸ ψεῦδες ὄνειδος οὐ περαιτέρω τῆς ἀκοῆς ἀφικνεῖται. Monachũ appellas, cum ipse sis fraterculus, & monachi fraterculis nũquã habiti sunt inhonestiores. Sed votã Deo virginẽ incesto connubio funestauit. Virginem Lutherus voto incõsiderato & superstitioso priùs alligatã, post in religione meliùs institutam sancto matrimonio sibi copulauit. Hic tu quantum voles, & quàm tragicè, vociferare. Zuinglium etiam gladiatorem appellas, cum ipse sis lanista. Sed quid ille fecit vnquam gladiatorium? nempe mori cũ suis ciuibus non recusauit. Si rogatus à senatu Zuinglius in bellum cõtra hostes & patriæ & religionis est profectus, ibiq́ue circumuentus à nefarijs latronibus perijt, quid ille fecit, quod nõ & fortem virum, & bonum ciuem & fidelem gre-

Sleidan. lib. 8. Oecolamp. epist. lib. 4.

gis ſui paſtorẽ decuit? Nam quod ais illum in patriam coniuraſſe, id etſi eſt impotentis linguæ mendacium, miror tamen vt crimen illi eſſe à te obiectum. Nunc enim velle in patriam & principem coniurare magnæ apud vos laudi ducitur. Caluinũ, quem tu perfugam & ſtigmaticum vocas, tota Chriſti eccleſia virum optimum & ſeruũ Domini conſtantiſſimũ nouit: qui tãtum ab omni dedecore ac turpitudine abfuit, quantum tu à modeſtia atq; honeſtate. Si ſtigmaticus fuit: fuit etiam Paulus, fuerunt alij. at non fuit. quod perfugam dicis, vbi ipſe iam aliquot annis vixeris, & qualis fueris recordare. Caluinus quã ſemel adminiſtrandam eccleſiam ſuſcepit, eam nunquam deſerüit, in ea cum omnium ſummo amore vixit, in ea diem obijt. Sed quid ego tibi quicquã pro iſtis præſtantiſſimis atque excellentiſſimis viris reſpondeam, quos tu nunquam, κἂν διαῤῥαγῇς ψευδόμενος, iuſta aliqua infamia aſperges.

Galat. 6. 17.

Verum nunc tuam audiamus ſermocinationem, quam appellas. Quæris autem *num eccleſiæ ſubſcribamus, quæ ſeculis anteactis viguit?* ſubſcribimus. *cui*, inquis? reſpõdeo, eccleſiæ Apoſtolicis & Propheticis fundamentis extructę. Hieroſolymitanæ, Antiochenæ, Epheſinæ, illisq; omnibus nobiliſſimis eccleſijs, de quibus in Apoſtolorum epiſtolis legimus: etiam Romanæ antiquæ, cui hæc tua nihil habet ſimile: deinde ijs etiam eccleſijs ſuffragamur, quarum in hiſtorijs mentionem legimus, quæ ſatæ ab Apoſtolis doctrinæ ſemen integrũ & incorruptũ tenuerunt. Hæ quã-

diu

diu in preceptis Apoſtolicis perſtiterunt, verę eccleſiæ fuerunt, & illis nos eccleſijs ſubſcribimus, ſemperq; ſubſcribemus. Hic nunc exiſtimo ſermocinationis tuæ ſeriẽ interciſam eſſe: non enim tuũ tibi reſponſum redditum eſt. Itaq; quę deinceps pertexis, minimè cohęrẽt. Sed tibi nihil placet, niſi tuæ ſubſcribatur eccleſiæ Romanæ, cui nos, quia ſcripta Apoſtolica corrupit, ſubſcribere meritò recuſamus. Quære alios ſubſcriptores Campiane, nulli nos niſi Apoſtolicæ ſubſcribemus. *Vnũ illud*, inquis, *crepãt in tenebris, vbi, vbi ſit eccleſia, tãtummodo ſanctos & in æthera deſtinatos ea cõtineri.* Nõ ſic de eccleſia loquimur, vt tu ſcribis: eccleſiam enim edocti ſumus ex ſacris literis diſtinguere, vt alia ſit aſpectabilis, alia hominum aſpectum fugiat. In externa atq; aſpectabili eccleſia, ad quã ij omnes pertinẽt, qui verbũ audire & ſacramenta percipere volunt, multos fatemur eſſe ſimulatos Chriſtianos, qui fidei perſonam, quàm veram fidem habere malunt. Eccleſiã autem inuiſibilem piorũ eſſe dicimus, qui Euangeliũ vera fide comprehẽdũt. Hi etſi cerni poſſunt, quandiu cum hominibus viuunt, quãdoquidem homines ſunt vt cæteri, tamen quia nec fides, nec Dei electio eſt oculis manifeſta, quæ illos eccleſiæ ciues facit, hanc ſanctorũ atq; fidelium eccleſiam ſenſum oculorũ omnem effugere affirmamus. Huius eccleſiæ Chriſtus caput eſt, ad hanc nullis niſi electis aditus patet. Non ergo nullam eccleſiã agnoſcimus, niſi quæ ex ſanctis ſolis cõſtet (ita enim nulla fuiſſet aſpectabilis eccleſia)

ſed quicunq; in terris hominum cętus doctrinam prophetiçã atq; apoſtolicam profitetur, eã Chriſtum eſſe veram eccleſiã prędicamus, quamtumuis improbi in ea multi reperiãtur. Neq; hæc nos nunc fingimus primum & comminiſcimur, vt tu ais, ſed parati ſumus ea & ſcripturarum tabulis, & antiquitatis authoritate comprobare. Solare ergo te noſtrorum Academicorũ acumine, Campiane, quantũ voles, & multa tibi de nobis pollicere. aut aliud acumen afferas oportet, aut tuo acumine nullum noſtrũm falli poſſe confido. Si in frequente noſtrorum Academicorum corona hæc tua tam inepta, & pueri lia, effutires, non argutias tantùm, opinor, tuas, ſed te quoq; ſuis ingenijs tam turpiter illudentem diſcinderent.

Edm. Campianus.

IIII. *Ratio* *GRAVIS, Eccleſia naſcẽte, quæſtio de legitimis cærimonijs, quæ credentium animos diſturbauit, coacto Apoſtolorum & ſeniorum concilio, ſoluta eſt. Credidere parentibus filij, paſtoribus oues, in hæc verba mandantibus.* Placuit Spiritui Sancto & nobis. *Sequuta ſunt ad extirpandam hæreſim, quæ varia quibuſq; ſeculis pullulauit, œcumenica veterum concilia quatuor, tantæ firmitudinis, vt ijs, ante annos mille,* ſingularis honos tanquam diuinis vocibus haberetur. Non abibo longius. Etiam domi noſtræ, comitijs regni, eadem concilia, priſtinum ius, inuiolatamq; dignitatem obtinent. Hæc citabo, teque ipſam, Anglia, dulciſſima patria, conteſtabor. Si quemadmodum præ te fers, quatuor iſta concilia reuerebere, ſummum honorem primæ ſedis epiſcopo, id eſt, Petro deferes: Intruen-*

CONCILIA.

Act. 15.

Greg. li. 1. ep. 14.

An. 1. Eliſab

Gregorius hæc quatuor Concilia quatuor Euangelijs æquauit.

tum

Conſtantino. ca. 3. Eph. concil. in epi. ad Neſtorium. Nic. can. 14. Chal. act. 11. Nic. conc. apud. Soc. lib. 1. cap. 9. Vide Chalc. can. 4. 13. 23.

tum corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificium in altari recognoſces: Beatos Martyres, diuoſque omnes cælites, vt pro te Chriſto ſupplicent, obſecrabis: Mulieroſos apoſtatas ab infando concubitu & inceſtu publico coercebis; multa facies quæ demoliris, multa quæ facis, infecta voles. Porro * Synodos aliorum temporum, nominatim verò Tridentinam, eiuſdem auctoritatis ac fidei cum primis illis fuiſſe, quando vſus veneris, demonſtraturum me ſpondeo atque recipio. * Auctus igitur conciliorum omnium valido & exquiſito præſidio, cur non ingrediar in hanc palæſtram animo tranquillo & præſenti, obſeruaturus aduerſarium quò ſe propiet? Nam & euidentiſſima producam quæ diſtorquere non poterit, & probatiſſima quæ reſpuere non audebit. Fortaſſe verboſius obloquendo diem extrahere conabitur: ſed ab intentis hominibus, ſi vos ego bene noui, nec aures nec oculos compilabit. Quòd ſi quis erit omnino tam demens, qui ſe vnum opponat ſenatoribus orbis terræ, & ijs quidem omni exceptione maioribus, ſanctioribus, doctioribus, vetuſtioribus, libenter aſpiciam illud os, quod vbi vobis oſtendero, reliqua cogitationibus veſtris relinquam. Interim hoc monebo. Qui pleno concilio * ritè atq; ordine conſummato momentum & pondus abrogat, videri mihi nullo conſilio, nullo cerebro, neque ſolùm in Theologis tardum, ſed etiam in politicis inconſultum. Si vnquam Dei Spiritus illuxit Eccleſiæ, certè illud eſt tempus immittendi Numinis, quum omnium eccleſiarum quæ ſunt in terris patentiſſimæ, religio, maturitas, ſcientia, ſapientia, dignitas, vnam in vrbem confluxerint, adhibitiſque modis omnibus, diuinis & humanis quibus indagari veritas poſſit, promiſſum implorent Spiritum, quò ſalutariter & prudenter ſanciant. Mat. 28. Io. 14. Proſiliat nunc aliquis factionis hæreticæ magiſtellus, attollat ſupercilia, ſuſpendat naſum, frontem perfricet, iudiceſque ſuos ſcurriliter ipſe iudices.

*Omnes Synodos Campianus Euangelio æquales facit.

*Falſum: antiquæ Concilia fidem Romanam non confirmãt.

Cõcilium Tridentinum nec plenũ fuit nec ritè cõſummatum: id quod & Cæſar & rex Gallorum iudicarunt. Sleidan. an. 1551. lib. 23. Conuentus quorundam,

quos ille ludos, quos iocos dabit? Repertus est Lutherus qui diceret, anteferre se Conciliis, diuorum suffragia bonorum & eruditorum hominum (putà Zotes simum & Philippi) si quando in Christi nomine consensissent. O circulos. Repertus est Kemnitius, qui Concilium Tridentinum ad suos vertiginis importunæ calculos exegerit. quid lucratus? infamium. Dum iste, ni caueris, sepelietur cum Arrio, Tridentina Synodus quo magis inueterascet, eo magis indies eóque perennius efflorescet. * Bone Deus, quæ genuinum varietas, qui delectus episcoporum totius orbis, qui Regum & Rerumpublicarum splendor, quæ medulla theologorum, * quæ sanctitas, quæ lachrymæ, quæ ieiunia, qui flores Academici, quæ linguæ, quanta subtilitas, quantus labor, quàm infinita lectio, quantæ virtutum & studiorum diuitiæ, magnum illud sacrarium impleuerunt? Audiui ego pontifices exultantes, & in his Antoninum archiepiscopum Pragensem, à qua sum creatus presbyter, amplissimos & prudentissimos viros, quòd in ea schola hæsissent aliquot annis: vt nullum Ferdinandi Cæsaris, cui multum debuerant, regalius & vberius in se beneficium colerent, quam hoc fuit, quod in Tridentino gymnasio legati ex Pannonia consedissent. Intellexit hoc Cæsar, qui reuersis ita gratulatus est. Aluimus vos in schola optima.

Lib. de capt. Babil.

Martini Kemnitij examen Conc. Tridentini.

* Tridentini cõcilij egregiæ laudes.

* Duo episcopi deprehensi sunt in adulterio & occisi. Illytic.

Huc inuitati fide publica cur non properarunt aduersarij, vt eos palàm vellerent, in quos vanunculi coaxant è cauernulis? Hussio & Hieronymo fregere fidem, inquiunt. Qui? Constantiensis Concilij procerei. Falsum est. nullam enim dedere. Sed nec in Hussium tamen animaduersum fuisset, nisi homo perfidiosus & pestilens, retractus ex fuga quam ei Sigismundus Imperator periculo capitis interdixerat, * violatis etiam conditionibus quas scripto pepigerat cum Cæsare, vim omnem illius diplomatis eternasset. Fefellit Hussium præcipitata mali-

Io. Huss.

* Falsum: nullas enim cõditiones violauit.

malitia. Iussus enim, cum barbaras in sua Boëmia tragedias excitasset, semetipsum sistere Constantiæ, despexit prærogatiuam Concilij, securitatem petijt à Cæsare,* Cæsar obsignauit, Christianus obsignauit, maior Cæsare, redire ad mentem hæresiarcha noluit, periit. Hyeronimus verò Pragensis furtim venit Constantiam, protectus à nemine, deprehensus comparuit, peroranit, habitus est perbenignè, liber abijt quò voluit, sanatus est, hæserim eiuranit, relapsus est, exustus est. Quid toties vnum exemplum de sexcentis exagitant? Repetant annales suos. Martinus ipse Lutherus, odium Dei & hominum, Augustæ positus coram Cardinale Caietano, nonne quod potuit, eructauit & Maximiliani liberis communitus, excessit? Idem accitus VVormatiam, cum & Cæsarem & plerosq; Imperij principes haberet infensos, nonne Cæsarie verbo tutus fuit? Postremo Lutheranorum & Zuinglianorum capita, præsente Carolo quinto, hæreticorum hoste, victore, domino, nonne datis inducijs, confessiones suas toties innouatas exhibuere comitijs Augustanis, & sospites abiere? Haud secus, literæ Tridentinæ locupletissimas aduersario cautiones proniderant: vti noluit. Nimirum se iactat in angulis, in quibus vbi tria verba Græca sonuerit, sapere videatur: abhorret à luce, quæ literatorem in numero poneret, & ad honesta subsellia deuocaret. Catholicis Anglis* tale chirographum impunitatis impetrēt, si diligunt salutem animarum. Nos Hussium non causabimur. in curiam, verbo Principis innixi, consolabimus.

Sed vt vnde sum egressus eò regrediar, Concilia generalia mea sunt. primum, vltimum, media his pugnabo. Hastam expectet aduersarius amentatam, quam euellere nunquam poterit. prosternatur in eo Satanas, Christus vinat.

* Nota.

Hieron. Prag.

Anno 1518.

Anno 1521.

Augustana confessio. Vide alla Conci. Trid.

* Non eadem ratio.

Guil. Whitakerus.

PRoximus est de concilijs locus à superiore nõ admodũ disiunctus. Concilium enim quid aliud est quàm flos & tãquam epitome ecclesiæ? itaque de concilijs quicquid dici potest, id pertinet ad ecclesiæ naturam. Sed quando nonnunquam ista explicationis causa distinguntur, separatim a te proponi facilè patior. Est autem conciliorum nomẽ amplum, fides singularis, authoritas grauissima: & tu te nusquam iactas insolentiùs, quàm in hoc loco. Nunc enim quando concilia nominas, satis te refutasse aduersarios existimas, & certam tibi victoriam polliceris. Neq; ego conciliorum dignitatẽ verbis conabor extenuare, & Nazianzenum miror de concilijs tam iniquè iudicasse, & acerbè scripsisse. Secum enim deliberasse ac planè constituisse ait, vt omnem episcoporum congressionẽ fugeret, quandoquidem nullius vnquã Synodi fælicem exitum vidisset. Id etsi de multis verum fuit, quæ propter quorundam ambitionẽ ac πολυπραγμοσύνην non veteres cõtrouersias sustulerunt, sed nouarũ potiùs cõtentionũ semina sparserũt, tamen nonnulla concilia ipse exitus longè optatissimus cõprobauit. Quare quod prouocas ad Cõcilia, in multis quidem & maximis iudicijs sequimur: in omnibus enim nec ipsi necessariũ esse iudicatis. Sed tuas nũc de cõcilijs cõmentationes accipiamus.

Nazianz. epist. 42. ad Procop. μηδεμιᾶς συνόδου τέλος εἶδον χρηστόν.

Grauis, quæstio, inquis, *de legitimis ceremonijs, coacto Apostolorum & seniorum concilio soluta est.*

Credide-

Credidere parentibus filij, pastoribus oves, in hæc verba mandantibus, placuit Spiritui sancto & nobis.

Excellens verò certè & omni exceptione maius conciliũm dicis: in quo nihil temerè, perniciosè, factiosè, vt fieri nonnunquam solet, sed omnia diuinitus atque ex ipsius Spiritus sancti authoritate gesta sunt. Huic nos cõcilio nisi crederemus, nec filij nec oues esse possemus. Grauem de ceremonijs quæstionem sustulit, & illud acerbissimum Mosaicarum ceremoniarũ iugum a Christianorum ceruicibus repulit, quò magis dolendum est aliud deinceps iugum, illo Mosaico grauius contra huius concilij mandatum, ecclesiæ à vobis esse impositum. Id enim planè cõstat ceremonias in ecclesiã Christianam inuectas atq; hominum conscientijs iniectas esse duplo plures quàm olim Moses iussu diuino veteri populo præscripsit. Id Augustinus olim conquestus est, ceremoniarum multitudine factum esse vt Christianorũ conditio multò quàm Iudæorũ deterior videretur. Quod ille quidẽ multò magis dixisset, si illã ceremoniarũ accessionẽ vidisset, quæ postea facta est. Quòd si autem Apostoli ac seniores ex spiritus sancti sensu atq; iudicio illas ceremonias quas ipse Dominus sanxerat aliquando, remouendas esse statuerunt, quæ vestra fuit audacia cõtra huius & spiritus & concilij decretũ vestras multiplices traditiones futilesque ceremonias Christianis obtrudere? An suas dominus sustulit vt vestras stabiliret? an pauciores abrogauit, vt multò plures introduceret? an leuiores detraxit,

Augustin. ad Ianuar.

ve imponeret grauiores? Itaq; huius cõcilij, quod omnium & primũ fuit & longè prẽstantissimum, diuina sanctio à vobis est nefariè violata. Et fieri posse credamus, vt qui in hos parentes & pastores tam impij extitistis, erga alios obseruantiores fitis? Nullum est omnino concilium, quod nõ sit iamdudũ à vobis palam protritum, vt vestrũm unusquisq; excõmunicationibus mille irretitus teneatur. Et tamen audes, Campiane, facere conciliorum mentionem, quę si valerent aliquid, vos certè nihilo magis in ecclesia, quàm publicani atque Ethnici tolerari deberetis.

Sequuntur, inquis, *sunt ad extirpandam hæresin excommunicatæ veterũ concilia quatuor, tantæ firmitudinis, vt ante annos mille singularis honos, tanquam diuinis vocibus haberetur.* Et nos illorum quatuor conciliorum saluberrimã fuisse authoritatẽ planissimè confitemur. Legè quid doctissimus Lutherus de quatuor illis concilijs scripserit, & nostram agnosce de his, quę dicis, œcumenicis quatuor concilijs sententiam. Gregorio tamen cur assentiamur, causa nulla est, qui se *sicut sanctis Euangelij quatuor libros sic quatuor concilia suscipere ac venerari* profitetur. Nam hoc concilia est non venerari, sed Euangelia violare. Quanquam id Gregorius, vt ego existimo, sensit quę sunt, in his quatuor Concilijs contra Ariũ, Eunomiũ, Macedonium, Nestoriũ, Eutychetem, Dioscorum ex Dei verbo decreta atq; concluſa, ea se sanctissimè amplecti, vt non magis ipsa Euãgelia, quàm hæc decreta, quę sunt scriptis Euangelicis cõprobata, qui-

Luth. de Concil.

Gregor. lib. 1. ep. 24.

quibusq; infanda hæresis damnata est, rescindi patiatur. Neq; enim possum existimare id Gregoriũ de totis hisce cõcilijs affirmare voluisse, vt Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense concilium sacrosanctis Euangelijs penitus fide ac dignitate exæquaret. Et nos, quæ patres illi aduersus eos, quos dixi, hæreticos de filij & patris ὁμουσίᾳ, de spiritus Sancti diuinitate, de Christi vnica persona, duabus naturis statuerunt, ea tam esse vera quam ipsa Euangelia minimè dubitamus: non quòd ita concilijs istis visum est, sed quia hanc ipsam fidem Euangelia tradiderunt. *Etiam domi*, inquis, *nostræ, comitijs regni, eadem cãcilia pristinum ius obtinent*. His quidem in rebus, alijsq; etiam omnibus, quas scripturis conuenienter proponunt, ius pristinum dignitatemq; retinent. Tamẽ ne putes tantum istis Concilijs fuisse vnquam à nobis tributũ, vt quicquid ab illis sancitum fuerit, necessariò suscipiẽdum iudicaremus, accipe nũc quid nostra ecclesia de œcumenicis Concilijs senserit atq; statuerit: *Concilia errare possunt, & interdum errarunt, etiam in his quæ ad normã pietatis pertinent: ideoq; quæ ab illis constituuntur, vt ad salutem necessaria, neq; robur habent, neq; authoritatem, nisi ostẽdi possunt è sacris literis esse desumpta.* Nunc hæc citato, & tuam, vt ais, dulcissimam patriam contestator. Et hæc ipsa patria lõgè chariſſima, in qua natus, educatus, ornatus es Campiane, te vicissim contestatur, te rogat, te per omnia, quæ sunt dulcissima, obsecrat, vt desinas sibi in causa pessima

In artic. Religionis: art. 21.

amplius molestus esse, vt nolis suos filios impia & peregrina religione corrumpere, vt suam dignitatem, quam externi hostis, charioré habere, vt eò nunc tandē vnde es digressus, redire velis. Si illam quam Romæ imbibisti opinionem præiudicatam quamq; huc tecum in Angliam attulisti, vel ad breuissimum tempus deponeres, hāc tuæ patriæ vocem minimè contemneres.

Sed quænam hæc tua futura est contestatio? *Si*, inquis, *quatuor ista concilia reuerebere, summū honorem primæ sedis episcopo, id est, Petro deferes.* Petro nos summū honorem meritò deferimus, nec tecum de Petro contēdimus. Sed quæ Petri propria fuerunt, ea nihil ad pontificem tuum pertinere posse affirmamus, qui nec Petro nec Paulo similis vnquā fuit. Et quæ hæc est insania de Petri summis virtutibus tantopere gloriari, propria merita nulla posse prædicare? An tu sanum quēquam existimaturū credis Petri fidem, pietatem, omnem virtutem ad tuum pontificem per alios tam innumeros, quorum multi non tam homines fuerunt, quam hominū monstra, esse deriuatam? Delirū hoc quidem est, & quouis helleboro dignum: τέτων, vt inquit ille, ἔλεγχος ἴασις. Ancgo tuum Gregorium decimū tertium, qui nunc Romæ dominatur, Petrū esse dicam? nū docet? num palcit? ne potest quidem. num Apostoli, num Episcopi officiū facit? nihil minus. quid ergo agit? In Vaticano sedet, bella concitat, seditiones monet, subditos in principē armat, orbem terrarum miscet. Hæccine Petrus fecit? num hoc est esse

Petrum?

Petrũ? num ista potes negare quin sint vera? huic ego honorẽ, vt Petro deferam? Sed expendamus quæ dicis. *Summum honorem*, ais, *primæ sedis Episcopo, id est, Petro defers.* Quo concilio id doces esse necessariũ? Affers conciliũ Nicenum, can. 6. in quo nulla fit nec de primæ sedis episcopo, nec de Petro mẽtio: nec quidem omnino quicquam cõtra tuũ pontificẽ magis valere potuit, quã illud Nicenæ Synodi decretũ. Omnes enim Metropolitanos & Patriarchas Romano Episcopo exæquat, nec ei quicquam amplius, quàm Antiocheno, Alexandrino, & cæteris aliarũ prouinciarum Metropolitanis tribuit. Ipsa si placet concilij verba audies. Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτωσαν τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν· ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν ἀντιόχειαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. Hoc est, *Antiqua consuetudo valeat, quæ in Ægypto, Lybia, & Pẽtapoli fiat, vt Alexandrinus Episcopus super hæc omnia summã dignitatem habeat: quoniã & Romano pontifici hæc ipsa consuetudo est. Similiter & apud Antiochiam, & in cæteris prouinciis primatus & authoritas ecclesijs conseruetur.* Vides nũc opinor, Campiane, nihil esse datum Romano põtifici singulare, eiusq; prouinciam ac iurisdictionem certis finibus & cancellis esse circumscriptam. Atque hunc canonem Rufinus, si nobis nõ credis, isto modo interpretatur. *Apud Alexandriam, & in vrbe Roma vetusta consuetudo seruetur, vt & hic Ægypti, & hic*

Concil. Nicen. can. 6.

Ruffin. lib. 10.

suburbicararũ ecclesiarum solicitudinẽ gerat. Suas ergo pontifex Romanus ecclesias vicinas & suburbanas curet, quibus illũ Synodus Nicena contentũ esse iussit: de nostris minùs deinceps solicitus sit, quę nihil ad ipsius curã pertinent. Nisi admodũ incautus fuisses, huius concilij mentionem profectò nullam fecisses. Sed Chalcedonẽse etiã Concilium adiungis, Act. 4. & 16. vt primæ sedis episcopo, id est, Petro summũ honorem deferendum esse confirmes. Hanc Sedem, Campiane, in summo olim honore fuisse cõcedo, huiusq; sedis episcopo primas delatas esse intelligo, cuius rei causam potes ex hoc ipso Concilio cognoscere. Neq; enim id factum est Christi aliquo mãdato, vt Romana ecclesia cæteras toto terrarum orbe ecclesias dignitate atq; authoritate superaret, sed vrbis illius imperiũ patres in causa fuisse testantur, vt illi sedi priuilegia maiora deferrẽtur. Verba ipsa potes in hac eadem Actione quam citas, reperire. Si verò Romana ecclesia debuit authoritate diuina cũctis vbiq; terrarum ecclesijs præesse, quid patribus Chalcedonẽsibus venit in mẽtem, vt prærogatiuas nonnullas illi ecclesiæ concessas esse dicerẽt nõ aliam ab causam, nisi quòd Roma imperij caput esset, eiusq; ciuitatis quæ mundi domina fuit, episcopum maiore aliquo honore dignũ, quàm cæteros, iudicarẽt? Ille autẽ honor nõ alius fuit, quàm vt episcopus Romanus primum in Concilijs locũ obtineret, primus sententiam diceret, cæteros ordine & loco anteiret. Atq; hunc nos honorem Romano pontifici non

Act. 16.

nunc

nunc admodum inuidemus; eo, si placet, vtatur. modò ne, quia inter alios primus sedet, imperiũ in fratres & tyrannidẽ exerceat, quod ille iã multis sæculis fecit, & facere se iure posse sibi persuasit. Et quando nobis Cõcilium Chalcedonẽse obijcere voluisti, vt summum honorẽ tuo primæ sedis episcopo vendicares, ne abeã lõgiùs, id mihi velim respõdeas. quamobrem hi patres Chalcedonenses sedem Constantinopolitanã Romanæ ęqualem fecerint? Sic enim statuũt & rem definiunt, quandoquidem olim Romanæ ecclesiæ propter illius vrbis imperium priuilegia magna sunt tributa, æquum videri vt Noua Roma, quę iam imperio fuit & Senatu ornata, ijsdem quibus Vetus Roma, priuilegijs frueretur. Quãquã autem Romanus pontifex maxima contẽtione pugnaret, ne secum Cõstãtinopolitanus episcopus exęquaretur, tamen efficere totis viribus non potuit quin Concilij sententia valeret, quę Constãtinopolitanum episcopũ Romano parem fecit. Itaq; malè mihi visus es tui pontificis honori ac dignitati consuluisse, quãdo huius Cõcilij decretum meministi. Constantinopolitanũ verò Cõcilium, quod etiam introducis, pro Romana sede nihil aliud decreuit, quam vt episcopus Constãtinopolitanus τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, id est, *honoris prærogatiuam* proximè post Romanũ obtineret. Id verò fatemur, sic fuisse distributas olim prouincias, vt Romana primas, secundas Constantinopolitana, & suas deinceps reliquę certo ordine obtinerent. Sed quid hoc ad illam causam valet,

Can. 5.

quã nunc in manibus habemus? non hic ille honos est, quẽ sibi pontifex Romanus vendicat: non hæc illa est potẽtiæ & maiestatis amplitudo, quã sibi toties tribuit. Cõcilium autẽ Ephesinum sine causa à te citatum est. Nihil enim Romano põtifici defert, quod nõ alijs etiam episcopis cõueniret. Nam si id ampis, quòd Cœlestinus episcopus Romanus, præsidens sanctissimus & pater reuerendissimus appellatur, si quod Nestorio, nisi hęresin abiuraret, excõmunicationẽ denũciat, sunt hæc Romano episcopo cum alijs cõmunia. Non enim ille solus Reuerẽdissimus est salutatus, nec ille solus potuit de hæreticis iudicium pronũciare. Sin te illa magis delectãt, *Hæc est fides catholica & orthodoxæ ecclesiæ, cui cuncti consentiũt orthodoxi pontifices*, male hæc verba interpretaris. Omnes enim orthodoxi pontifices dicũtur his verbis nõ ecclesiæ, sed fidei cõsentire. Illa fides, quam ijs literis patres sunt cõplexi, omnes vbiq; orthodoxi pontifices approbarũt, & nos etiã defendimus.

Ephesin. Con. in epist. ad Nestor.

Sed quid nunc in tua contestatione sequitur *Incruẽtam*, inquis, *corporis & sanguinis Christi sacrificium in altari recognosces*. Citas autẽ Concilij Nicẽni canonẽ 14 in quo nec incruenti, nec sacrificij, nec Altaris vlla mẽtio reperitur. Prohibẽtur autẽ diaconi ne id sibi arrogẽt vt præsẽtibus episcopis aut presbyteris, cœnę Dominicę sacramẽtum procurare velint: neq; enim Diaconis licere corpus Domini presbyteris tradere. Panem dici corpus Domini tritum est, quia corporis Domini sacramentũ est. Nec tamẽ nego Cœnã Dominicam

ciam à multis antiquis patribus incruẽtũ ſacrificiũ appellari, quia & mortis Chriſti myſteria ſine cruore & ſãguine percipimus, & Deo laudes atque gratiarũ actiones tanquã in ſacrificiũ offerimus. Itaq; Cyrillus ἀναιμάκτους θυσίας καὶ δοξολογίας, *incruẽta ſacrificia & laudationes* in cœna ſtatuit: & Euſebius nos Domino altare extruere ſcribit ἀναίμων καὶ λογικῶν θυσιῶν κατὰ τὰ καινὰ μυστήρια, *incruentorũ & rationabiliũ Sacrificiorũ, ſecundũ nouã myſteria.* Si iam cuiuſmodi ſit hoc incruẽtum ſacrificium quæras, ipſe tibi ſuis verbis reſpõdeat Euſebius, μνήμην ἡμῖν παρέδωκε ἀντὶ θυσίας προσφέρειν, *Memoriam nobis tradidit quam loco ſacrificij offerremus.* Deinde Chalcedonẽſis Cõcilij Actionẽ 11. proponis, quæ nihil habet, quod quicquã ad iſtas cauſas ſpectet: neque locus ille Socratis, quẽ deſignas, lib. 1. cap. 8. Rectiùs multò ſimpliciuſq; feciſſes, ſi ipſa verba recitaſſes, nõ incertas ac confuſas in margine notas poſuiſſes. Sed veritus es, niſi fraudem aliquã adhiberes, ne nimiùm facilè deprehendi poſſes.

Cyrill. ad Regin.

Euſeb. de Demonſt. lib. 1.

Quid in tua conteſtatione reliquum ſit audiamus. *Beatos Martyres, diuoſq; omnes, vt pro te Chriſto ſupplicent, obſecrabis: mulieroſos apoſtatas ab infando concubitu coërcebis.* Num Martyres, diuiq; cœlites Chriſto pro nobis ſupplicent, neſcimus: quid nos agamus, id eos ignorare certũ eſt. Quare ad Chriſtũ potiùs accedimus, eumq; vnũ obſecramus, qui & nouit quibus rebus indigemus, & vult, & poteſt, quæ petimus, largiri. Tu ſi placet riuulos quære, nos ex ipſo fonte hauriemus:

inueteratam verò Diuos in precibus appellandi cõsuetudinẽ minimè curamus. Et si hic antiquus mos est, ab humana tamen superstitione, non ab authoritate diuina manauit. Quod autẽ subiũgis de mulieribus apostatis ab infando cõcubitu coercendis, & Canones aliquot Cõcilij Chalcedonensis profers, in eo quidem antiquum obtines. Vnicus verò Canon contra Diaconissas perlatus est, quæ postquã ministerium susceperint, deinceps nupserint. Sed quam hæc iniqua lex fuerit, facilè cõstat. Primùm enim quas Paulus sexagenarias ad minimum esse voluit, iste Canon quadragenarias recipit: & tamẽ nuptias non permittit. Sed vouisse, inquies, cælibes se futuras. Primùm doce vouere tale aliquid debuisse. tum si senserint votum se nullo modo posse persoluere, & si nupserint, aliter ac oportuit fecisse. In rebꝰ sua natura medijs velle vouere, quod nequeas præstare, est Deo illudere, & impiæ temeritatis crimẽ incurrere: persistere autem in impio voto est duplex scelus admittere. Itaq; quod ius præscribit, *Præstat in malis promissis fidem nõ obseruare*: atq; ita omnino faciendũ est, quemadmodum suæ sorori Bernardus suasit, *In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum: quod incautè vouisti ne facias: impia est promissio, quæ scelere adimpletur*. Quid autẽ scelere plenius, Deoq; odiosius esse potest, quàm intus libidinum incẽdijs inflammari, & tamen legitimam sanctamq; medicinam recusare? At illud semper inculcas, voti legibus obligantur. Ergo tibi Cyprianus re-

Concil. Chalced. Can. 15 23.

1. Tim. 5.

Bernard. ad Soror. de modo bene viuendi. Serm. 62.

ſpondeat, *Si ſe ex fide Chriſto dicauerint, pudicè & caſtè ſine vlla fabula perſeuerent: ſin autem perſeuerare nolint, vel non poſſint, melius eſt vt nubãt.* Id ne conſilij Campiane, virginibus dediſſet Cyprianus, ſi hunc infandum eſſe concubitũ, aut inceſtum publicum, vt tu nimiùm ſcribis intemperanter, iudicaſſet. Quanto verò vobis honeſtius eſſet Monachis atq; Fraterculis, concubitus illos veſtros & nimiùm publicos & ſupra modum nefandos mittere, caſtumq; matrimonium colere? fieri enim potuit, quemadmodum Pius ille papa ſolitus eſt dicere, vt multi veſtrûm in matrimonio ſeruarentur, qui nunc in ſicco cœlibatu damnantur. Sed qui ſordidus eſt, pergat porrò in ſuis ſordibus conſenescere, qui ſanctus eſt, turpitudinẽ fugiat, ſanctitatẽ vitio & ſceleri anteponat. *Cypr. lib. 1. epi. 11.* *Pius. 2.*

Hęc illa ſunt quæ tu nobis in illa tua grauiſſima conteſtatione effudiſti, & Conciliorum interpoſita authoritate perſuadere voluiſti. Sed debes exiſtimare Campiane, ementita Conciliorũ nomina minùs apud nos, quàm certiſſimum Dei verbum, valere oportere. Nam quod deinde ais *Synodos aliorum temporum, & nominatim Tridentinã eiuſdem authoritatis ac fidei cum primis illis fuiſſe*, equidem non credo, quamtumuis id te, quãdo vſus venerit, demonſtraturũ ſpondes atq; recipis. Multa tu quidẽ ſpondes, ſed pręſtas nihil. Verùm hic ego pium Lectorẽ obſecro, omnesq; Chriſtianos obteſtor, vt quid hoc loco Campianus dicat attendant. Synodos omnes, & nominatim Tridẽtinam quatuor Oecumenicis concilijs

pares esse affirmat: quatuor autem Cōcilia Gregorius, quem citauit Campianus, cum quatuor Euangelijs exæquat: hinc nūc efficitur, omnia aliorum temporū Concilia eiusdem esse authoritatis & fidei cum quatuor Euangelijs. Nō vrgebo, nec te nunc exagitabo, quemadmodū tu Lutherum soles. Verberādum te tacitis hominū iudicijs relinquo. Deinceps, hoc Cōciliorum valido præsidio munitus ingrederis in palæstram, & aduersarium, quò se proripiat, obseruas. Tantus enim es bellator, tam peritus gladiator, & tam vehemens in præliando, vt veniēte te fugiant illico omnes. Et nūc quemadmodum te sis in hoc prælio gesturus, & quas facturus strages, exponis. At mi Campiane, vide ne id in te vsurpari meritò possit, quod dici solet, θρασὺς πρὸ ἔργου, ἐκ πολλοῦ κακός.

De dignitate Conciliorum multa prædicas, quam nos etiam summam libenter agnoscimus. Sed tamen non hominum multitudine, non apparatu, non pompa Spiritus sanctus alligatur. In Concilijs multa sunt nonnunquam partium studia, & maior pars vincit aliquādo meliorem. *Repertus*, inquis, *est Lutherus, qui diceret anteferre se Concilijs duorum suffragia bonorum & eruditorum hominum.* Et quid ni anteferret? aut quis illo dicto offendi meritò potest? Enimuerò Gerson ille Concilij Constātiensis moderator vnius hominis sententiam toti Concilio anteponere non dubitauit. *In sacris*, inquit, *literis erudito, atq; authoritatem Catholicam proferenti, plus est credendum,*

dum, quàm generali Concilio. Quod etiam Panormitanus confirmauit, quando ad hunc modum scribit, *Plus credēdum est vel simplici laico scripturam proferenti, quàm toti simul Concilio. Repertus est*, inquis. *Kemnisius, qui Concilium Tridentinum ad suos vertiginis importunæ calculos exegerit.* Concilium illud Kemnisius non ad suos calculos, sed ad verbi diuini normam exegit. At *quid lucratus?* inquis, *infamiam*, respondes. Si apud vos malè audit Kemnisius, nō admodum miror. Id enim est sua doctrina, virtute, industria consequutus, vt inuidia odioq; vestro dignus videretur. Sin vera laus rectè factis debetur, nactus ille est amplissimum præmium, nominis sui gloriam sempiternam. *Imò*, inquis, *ni cauerit, sepelietur cum Ario.* Te verò, Campiane de tuo potiùs, quā Kemmisij sepulchro solicitum esse oportuit: & vide, ne sit paratum tibi pro tuis maleficijs apud inferos sepulchrum.

Tit. de elect. can signific. cast.

Hic nunc incipis Tridentinum Concilium vehementiùs commendare: quasi nos illud præclarum atq; egregium Concilium cuiusmodi extiterit, nesciamus. Illius ego te tam esse studiosum facilè patior, me quidem non habebis riualem. De eo dixerunt alij, quæ vera sunt: quomodo & institutum, & habitum, & dimissum fuerit. Itaque non conabor, quæ tu dicis, oratione eleuare: ea fide atque existimatione, quam potuit acquirere, per me fruatur. Quanquam id omnes intelligunt, non tam orbis Christiani Concilium, quam paucorum hominum in vnum

Sleidanus. Illyricus. Kemnisius. Caluinus. Ioan. Iuellus.

Conuentus quorundam.

locum concurrentium *conuenticulum* extitisse. Aderant aliquot ieiuni fraterculi, qui maximam oneris partem disputando, scribendo, perorando sustinerent. Nam episcopi ac summi Cardinales res alias, quarum magis causa conuenerant, meditabãtur, Sed sit, inquã, quod fuit: non enim tuis laudationibus offendor. Et exultauerint pontifices, quòd in ea schola hæserint, è qua adhuc non admodũ multi, quos sciam, vel docti Theologi, vel boni pastores prodierunt. Antonium etiam Pragensem sibi ipsi magnopere gratulantem introducis. aliquam enim illi gratiam referre voluisti, quia te presbiterum creauit. Bene habet: presbiter creatus est Campianus ab Antonio Archiepiscopo Pragensi. Vereor ne nimium longè abieris, vt mercem tam vilem emeres. Sed nunc potes Missas celebrare, postquam es abrasus, & inunctus, & presbyter creatus.

Quæris autem, atque in eo admodũ exultas, *hunc innitati fide publica cur nõ properarint aduersarij?* De eo tibi responsum est abunde in Apologia ecclesiæ nostræ. Quid enim ibi faceremus, aut quorsum iter tam longinquum ingrederemur? An vt lusi domum rediremus, aut exusti in Concilio temeritatem nostram lueremus? Nam disputandi apud eos quis locus fuit, quorum singuli fidem pontifici Romano dederunt, & iurisiurandi se religione obstrinxerunt, vt nihil vnquam contra ipsius dignitatem ac voluntatem aut facerent aut dicerent? Quid ergo

ab

ab iſtis ſperari potuit, quod quenquam ad diſputandum eliceret? Et metum attulit, Ioannis Huſſij Bohemi, & Hieronymi Pragẽſis calamitas, quos patres Conſtantienſes in ipſo Concilio concremarunt. Et tamen Huſſius fide publica fretus ad Concilium aceeſſerat. *At ei*, inquis, *Conſtantienſes proceres nullam fidem dederе: quare nullam fregere.* Huſſio fidem publicam Sigiſmundus Imperator dedit, cui vt confideret æquum fuit. Ad Concilium venit, mox captus conijcitur in carcerem, cauſam coram Concilio dicit, damnatur fremente licèt Sigiſmundo, exuritur. Nec fugit ille, vt tu mentiris, nec fugere potuit: homo ſanctiſſimus atque innocentiſſimus, tanquam ouis a lupis furioſis deuoratur. Quid illi Cæſaris authoritas, quid mandatum, quid publica fides profuit? *Ceſar*, inquis; *obſignauit, Chriſtianus orbis, maior Cæſare, reſignauit.* Quis ergo tutus eſſe poteſt, ſi nihil in Concilio Cæſaris literæ valebunt? Neque nos tam Ioannis Huſſij contra fidem publicam miſerandus interitus à veſtris Concilijs deterret, quàm illud decretum, ab eo ipſo Concilio editum, Hæreticis non eſſe ſeruandam fidem. Ego vobis credam, quos ſcio nullam ſeruare fidem? Si faciam, dignus ſim, qui ſimiliter peream. Hieronymus autem Pragenſis ad Conciliũ ſua ſponte venit, fidem palàm eſt profeſſus, incendio eſt conſumptus. Hic caſus horum duorum, quibus orbis Chriſtianus eo tempore nec ſanctiores nec doctiores habuit, perpetuum erit & veſtræ per-

fidiæ horrendæque crudelitatis monimentum, & pijs ad cauendum in posterum illustre documentum. Lutherum verò, quem tu odium Dei & hominum vocas, execrande fratercule, ipsa Dei manus virtusque defendit, vt ei nunquam nocere posſetis. Non enim voluntas vobis, sed occasio ad perdendum Lutherum defuit. *Sed tutus*, inquis, *fuit Cæsaris verbo*. Neque enim ausus est Pontifex Luthero necem machinari, postquam ei Cæsar salutem promisisset. An tu enim id laturum fuisse Carolum quintum existimas? Non fuit è re pontificis aliquid tentare, vnde Cæsar fidem fefellisse videretur. Id non tam facilè Carolus tulistet, quàm olim tulit Sigismundus.

Nimium, ais, se iactant in angulis, *in quibus vbi tria verba Græca sonuerint, sapere videantur*. Tibi forsan sapere videantur, qui vix (credo) potes tria sonare Græca verba. *Abhorrent à luce, qua literatorem in numero ponerent, & ad honesta subsellia denocarent*. Hoccine est quod quæris Campiane, nomen, famam, honesta subsellia, digito monstrari, & dicier, hic est, ἀλὶ ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων? id dolet, in numero non esse, in subsellijs non sedere? Verùm mactè virtute, quem ingressus es cursum ad laudem, persequere, spes est ad honesta aliquando, quibus tu dignus es, subsellia posse ascendere.

Quod autem petis, Catholicis Anglis tale Chirographum impunitatis impetrari, si diligunt

gunt ſalutem animarum, iniquum certè poſtulas. Quid enim ſimile eſt, doctos homines vndique ad publicum Concilium conuenire, & perfugis in patriam reditum patere? *In Curiam*, inquis, *verbo principis innixi, conuolabimus*. Et tuto quidem: fidem enim ſi dat, certam vobis ſecuritatem poteſtis polliceri. Ac facilè credo verum eſſe quod dicis, quando aliqui iamdudum in curiam, nullo principis verbo innixi conuolaſtis. Vos verò, Campiane, ad Indos potiùs conuolate, vt nouam illam pontificis veſtri prouinciam perluſtretis: noſtra princeps ſapientiſſima tales hoſpites non deſiderat, & vos à ſe quàm poteſt longiſſimè repellit.

Sed iam vnde es egreſſus, eò regrederis, atque hunc de Concilijs locum ſplendidè concludis, *Concilia generalia mea ſunt, primum, vltimum, media*. Facilis & expedita victoria: Cæſarem te propè credam, *Veni, vidi, vici*. Sed hoc non eſt haſtam tuam, quam dicis, amentatam intorquere. Verba amentata vel potiùs amentiæ plena video, haſtam adhuc nullam conſpicio. aut haſta tibi, aut amentum, aut vires defuerunt, aut quòd magis credo, hæc ſimul vniuerſa. Cupimus certè Academici, Campiane, experiri quàm tu peritè haſtas vibrare didiceris, & fore ſperamus, vt tu noſtris haſtis confoſſus aliquando audaciam temeritatemq;, & inertiam huius pugnæ tuam ſentias atque agnoſcas.

Edm. Campianus.

V. Ratio.

ANTIOCHIAE, qua primum in vrbe, Christianorum nobile cognomentum increbuit, doctores, id est, eminentes theologi, & prophetæ, id est concionatores perquàm celebres, floruerunt. Huiusce generis scribas & sapientes, doctos in regno Dei, noua promentes & vetera, Christum callentes & Moysen, Dominus ipse futuro gregi prospexerat. Hos ingentis beneficij loco donatos explodere quanti maleficij est? * explosit adhæsurius. quid ita? quia stantibus illis concidisset. Id ego cum pro certissimo comperissem, pugnam simpliciter exoptaui, non illam iocularem qua turbæ velitantur in compitis, sed istam seueram & acrem qua congredimur in vestris philosophorum spacijs,

PATRES. Act. 13. 1. Cor. 12. Ephes. 4. 1. Cor. 14. Matt. 13. & 23.

* Falsum: nullũ enim doctum scribam explosimus.

Pede pes, densusque viro vir.

Ad Patres si quando licebit accedere, confectum est prælium. tàm sunt nostri, quàm Gregorius ipse decimus tertius, filiorum Ecclesiæ Pater amantissimus. Nam vt omittam loca sparsa, quæ ex monimentis veterum conquisita, nostram fidem appositè affirmatèque propugnant, tenemus horum integra volumina, quæ de industria religionem quam tuemur euangelicam distinctè copiosèque dilucidant. Duplex Hierarchia Martyris Dionysij, quas classes, quæ sacra, quos ritus edocet? Pupugit ea res Lutherum tàm valdè, vt huius operæ simillima somnijs, nec non perniciosissima iudicaret. Imitatus parentem Caussæus, nescio quis terræ filius ex Gallia, non est veritus hunc * Dionysium inclytæ gentis Apostolum vocitare delirum senem. Centuriatores vehementer offendit * Ignatius, offendis & Caluinum, vt in eius epistolis deformes nævos & putidas nænias, hominum quis-

S. Diony. Areopa. de quo vide Adon. Treu. in martyrol. Adon. Turon. Dyng. Sund. Metaph. Coment. in 1. 11. & 17. Dist. Item. in Capit. Bab. Dial. 5. & 11.

* Dionysius suppositicius.

* Ignatius suppositicius.

Cen. 2. ca 10. Inst. lib. 1. ca. 13. nu. 29.

quilias

quiliæ, notarint. Cenſoribus illis fanaticum quid-
Cen.1.ca. dam *Irenæus* edidit: *Clemens*, auctor Stromatum,
Vide cen.1.li. zizania feceſque *protulit*: *reliqui patres huius*
2.ca 10. & ſequ. *ævi, ſanè* * *Apoſtolici viri*, blaſphemias & mon-
ſtra poſteris reliquerunt. *In Tertulliano ra-*
piunt auidè quod à nobis edocti, nobiſcum commu-
Lib. de præ- *niter deteſtentur: ſed meminerint, libellum de præ-*
ſcript. cont. *ſcriptionibus, qui noſtri temporis ſectarios tam in-*
har. *ſigniter perculit, nunquam fuiſſe reprehenſum.*
Orat. de conſ. * *Hippolytus Portuenſis epiſcopus, quàm bellè,*
ſecul. *quàm clarè, Antichriſti nerum, Lutherana tem-*
pora, præmonſtrauit? Eum propterea ſcriptorem
Iuel. &c. infantiſſimum & laruam *nominant. Cypriannm*
delicias & decus Africæ, Gallicanus ille criticus,
Cauſſ. dial. 8. *& Magdeburgici*, ſtupidum & deſtitutum Deo
& 11. & deprauatorem pœnitentiæ *nuncuparunt.*
Cent. 3. ca. 4. *Quid admiſit? Scripſit enim de virginibus, de lap-*
ſis, de vnitate Eccleſiæ tractationes eiuſmodi, eas
etiam Epiſtolas Cornelio Romano pontifici, ve-
niſi fides huic martyri detrahatur, Petrus Martyr Ver-
milius, omneſque cum eo fœderati, peiores adulte-
ris & ſacrilegis habeantur. Ac ne ſingulis inſiſtam
Cent. 3. ca. 4. *diutius, Patres huius ſeculi* * *damnantur omnes*,
quippe qui, doctrinam de pœnitentia mirè
Canones Pœ- daprauarint. *quo pacto? nam auſteritas canonum*
nitentiæ ve- *quæ viguit ea tempeſtate, maiorem in modum diſ-*
teres. *plicet huic ſectæ plauſibili, quæ triclinijs aptior*
quàm templis, voluptarias aures titillare, & pul-
Ezec. 13. *uillos omni cubito ſolet aſſuere. Quid ætas proxi-*
Præf. in cēt. 5 *ma, quid peccauit? Chryſoſtomus & ij Patres* iu-
ſtitiam fidei fœdè *videlicet* obſcurarunt. *Na-*
zianzenus, quem, honoris cauſa Theologum ve-
teres appellarunt, Cauſſæo iudice, Fabulator, quid
Dial. 6. 98. affirmaret, neſcijt. *Ambroſius* à Cacodæmone
Bez. 4 in Act. faſcinatus eſt. *Hieronymus* * æque damnatus
Apoſt. ca. 23. atque diabolus: iniurioſus Apoſtolo, blaſphe-
Stancha. li. de mus, ſceleratus, impius. Vnus *Gregorio Maſ-*
Trin.

* Erant Apoſtolici viri, tamen non omnia Apoſtolica ſcriptis prodiderunt.

* Hippolytus ſuppoſititius.

* Falſum: non enim patres huius ſeculi damnamus.

* Falſum: hoc totum eſt de Hieronymo.

souio pluris est Caluinus quàm centum Augustini. *parum est, centum, Lutherus* nihili facit aduersum se, mille Augustinos, mille Cyprianos, mille Ecclesias, *Longius rem deducere, supernacaneum puto. Nam in hos qui bacchantur, quis miretur in Optatum, Athanasium, Hilarium, Cyrillos, Epiphanium, Basilium, Vincentium, Fulgentium, Leonem, Gregoriumque Romanum fuisse procacissimos?*

Lib. contra Henr. 8. Reg. Angl.

Quanquam si datur vlla rebus iniustis iusta defensio, non inficior, habere Patres, vbicunque incideris, quod isti, dum sibi consentiunt, necessariò stomachentur.

Etenim qui odère stata ieiunia, quo animo oportet esse in Basilium, Nazianzenum, Leonem, Chrysostomum, quid de Quadragesima, & indictis ieiuniorum ferijs, tanquam de rebus iam vsitatis, conciones egregias publicarunt?

*Qui suas animas auro, libidine, crapula, & ambitiosis conspectibus vendiderunt, possúntne non esse inimicissimi Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, quorum excellentes libri de * Monachorum instituto, regulæ, virtutibus, teruntur?*

* At isti Monachi nostris dissimillimi fuerunt.

*Qui captiuam hominis voluntatem inuexere, qui Christiana funebria sustulere, qui diuorum reliquias incendère, sintne placabiles Augustino, qui de * Libero Arbitrio, libros tres, De Cura pro mortuis, vnum, De Miraculis ad Basilicas & memorias martyrum, prolixum caput nobilissimi operis & conciones aliquot exarauit?*

* At in his libris arbitrium liberum non statuit.

Lib. 12. de Ci. Dei, ca. 8. & ser. de diuers. 34. & seqq.

*Qui fidem suis captiunculis metiuntur, nonne succenseant Augustino, cuius est insignis epistola contra Manichæum, qua se profitetur, * Antiquitati, Consensioni, Successioni perpetuæ, & Ecclesiæ quæ sola inter tot hæreses Catholicæ nomen vsucapione vendicat, assentire?*

* At istis omnibus veritatem anteponit eodem in loco Augustinus.

* Optatus hic, vetus pater, nuper editus.

Contra epi. Mã. quam vocant, funda. ca. 4.

** Optatus, Mileuitanus episcopus, Donatianam par-*

Lib. 1. count. Parmen.

partem reuincit ex communione catholicæ, nequitiam accusat ex decreto Melchiadis, hæresim refutat ex ordine Romanorum Pontificum, insaniam patefacit ex Eucharistia & chrismate cõtaminatis, sacrilegium horret, ex diffractis altaribus, in quibus Christi membra portata sunt, *pollutisque calicibus*, qui Christi sanguinem tenuerunt. *De Optato quid sentiant, aueo scire, quem Augustinus vt venerabilem & catholicum episcopum, Ambrosio parem & Cypriano, quem Fulgentius vt sanctum & fidelem Pauli interpretem, Augustini similem & Ambrosij, meminerunt.*

Lib. 2. *Lib. 3.* *Lib. 6.* *Aug. li. 1. cõt. Parmen.* *De Vnit. cap. 16. & li. 3. de Doct. Christ. ca. 40.* *Fulgent. li. 2. ad Monim.*

*Athanasij symbolum in templis concinunt. Num fauent ei? qui Antonium Eremitam Aegyptium, grauis auctor, accurato libello dilaudauerit, quique cùm * Alexandrina Synodo, iudicium sedis Apostolicæ, diui Petri, suppliciter appellarit? Prudentius in hymnis quoties precatur martyres quos decantat? quoties ad eorum cineres & ossa regem martyrum veneratur? Num hunc probabunt?*

Vide epi. Synod. Alex. ad Feli. c.

* Epistola suppositiua.

Hieronymus pro diuorum reliquijs & honoribus scribit in Vigilantium: In Iouinianum, pro virginitatis gradu. Hunccine patientur?

Ambrosius tutores suos Geruasium & Protasium, celebritate notissima, in Arrianam ignominiam honestauit: cui facto diuinissimi Patres encomion tribuere: quod factum, Deus non vno prodigio decorauit. Num beneuoli sunt Ambrosio futuri?

Vide epist. D. Amb. ad Epis. Ita. Item ad so li. 10. ep. 85 Item ser. 91. *Aug. li. 22. de Ci. Dei cap 1.*

*Gregorius magnus * noster apostolus, planissimè noster est, eoque nomine nostris aduersarijs odiosus, quem Caluini rabies negat in schola Sancti Spiritus educatum, propterea quòd sacras imagines, illiteratorum libros, appellasset.*

Gre. Turo. li. de glor. mar. ca. 46. *Metaphrast. Inst. lib. 1. ca. 11. nu. 5.*

* Gregorius magnus neque noster Apostolus fuit, neque omnino Apostolus.

Dies me deficeret numerantem epistolas, conciones, homilias, orationes, opuscula, discepta-

ziones Patrum, in quibus ex apparato, grauiter & ornatè noſtra catholicorum dogmata roborarunt. Quàm diu apud bibliopolas iſta venierint, tam diu fruſtra noſtrorum codices prohibentur: fruſtra ſeruantur aditus oreæ, mariſimæ: fruſtra domus, arcæ, ſcrinia, capſulæ diſquiruntur: fruſtra tot portis minaces tabulæ ſuffiguntur. Nullus enim Hardingus, nec Sanderus, nec Alanus, nec Stapletonius, nec Briſtolius hæc noua ſomnia vehementiùs, quàm hi quos recenſui Patres, inſectantur. Talia cogitanti accreuit animus & deſiderium pugnæ, in qua, quoquo ſe mouerit aduerſarius, niſi gloriam Dei ceſſerit, feret incommodum. Patres admiſerit: captus eſt, excluſerit: nullus eſt.

* Illud verbum nec ipſe vnquã Iuellus reuocauit, nec nos reuocare volumus.

Adoleſcentibus nobis ita contigit. Ioannes Iuellus anteſignanus Caluinianorum Angliæ, Catholicos ad Diuũ Pauli Londinenſium, incredibili iactantia laceſſiuit, inuocatis per hypocriſin & imploratis Patribus, quicunque intra ſaluis annum ſexcenteſimum clarniſſent. Accipiunt conditionem memorabilem viri, qui tum exulabant Louanij, ſummis licet difficultatibus propter iniquitatem ſuorum temporum circumſepti. Auſim dicere, tanto populatibus noſtris bono fuiſſe illam Iuelli aſtutiam, inſciriam, improbitatem, impudentiam, quas ij ſcriptores feliciter expanderunt, vt vix aliud quidquam, memoria mea, proueneris Anglorum eccleſiæ laboranti fructuoſius. Edictum continuò valuis appenditur, ne qui * codices illiuſmodi legerentur, néue haberentur, quum tantis clamoribus propemodum exorti prodiiſſent. didicere quicunque negotium attigiſſent, Patres fuiſſe catholicos, id eſt, noſtros.*

* Actuellus aduerſarij libros integros edidit, vt legi ab omnibus poſſent.

*Neque hoc ſibi ſuiſque vulnus inflictum Laurentius Humfredus tacuit: qui cum alèt Iuellum quoad cætera ſuſtuliſſet, vnam ei notam aſperſit * inconſideratiæ, quòd Patrum calculos recepiſſet:* Lib. de vit. Iuel.

* Falſum: nullam illi hoc nomine imprudẽtiam obiecit.

ſet: quibuſcum ſibi nihil eſſe commercij, nec fore, ſine vlla circuitione proloquitur.

Perientauimus etiam familiariter aliquando Tobiam Matthæum, qui nunc in concionibus dominatur, quem propter bonas artes & virtutum ſemina dileximus, vt reſponderet ingenuè, poſſetne qui Patres aſſiduus lectitaret, iſtarum eſſe partium quas ille ſuaſerat. retulit, non poſſe, ſi pariter eos legeret, ijſq; crederet. Veriſſimum hoc verbum eſt, neque aliter aut eum nunc, aut Matthæum Huſtonū, qui vir nominatus in paucis, verſare Patres dicitur, aut reliquos aduerſarios qui hoc faciunt, ſentire arbitror.*

* Falſiſſimum: qui plurimum patribus tribuunt, ij maximè ſunt à vobis alieni.

Hactenus ergo ſecurus in hanc aciem potui deſcendere, bellaturus cum ijs, qui quaſi auribus lupum teneant, æternam cauſæ maculam cogantur imuere, ſiue recuſent Patres, ſiue depoſcant. Nam in altero fugam adornant, in altero ſuffocantur.

Guil. Whitakerus.

PAtres deinde clamat Campianus, quorum firmiſſimo munitus, vt putat, præſidio, pugnam exoptauit, non iocularem, qua turbæ velitantur in compitis, ſed ſeueram, qua congredimur in ſpacijs philoſophorum. ita maluit in philoſophorum, quàm Theologorum ſpacijs verſari Campianus. Nam qui Rhetoricis & Dialecticis præclarè imbutus ætatem penè omnem in declamitando ac laqueos Sophiſticos nectendo & diſſoluendo conſumpſit, quin palmam philoſophis iudicibus inſignem reportaret non dubi-

tauit. Verùm ista Campiane non sunt apud philosophos disceptāda, qui probabilitate & verisimilitudine nonnunquam capiuntur, eamq; sententiam sequuntur, quam ipsi maximè rationi consentaneā esse iudicāt: sed hęc causa in Theologorum grauissimo eruditissimoq; consessu tractanda est, quos nullæ verborum præstigiæ, nulla disputandi solertia, nullum acumen, nulla ars, nulla calumniandi, mentiendi, iuueniliter exultandi insolentia commouere, atque ab eo, quod verum esse constat, abducere potest. Non hîc tibi integrum erit tua commenta venditare, non hîc philosophia iudicabit, non hîc vlla valebunt, quibus tu confidis: in gyrum scripturarum, & veræ Theologiæ ex illis immensis errorum spacijs vel inuitus compellêris. Non enim, vt ille inquit in Concilio Niceno cordatus homo, Dialecticam nobis inanemque astutiam Christus & Apostoli commendarunt, ἀλλὰ γομνὴν γνώμην, in fide & bonis operibus positam. Atque hic ἁπλοῦς λόγος τῆς ἀληθείας tuas omnes captiones facilè diluet, offusas arte tenebras discutiet, te quantumuis repugnantē irretiet, ac magis magisque constringet. Verum ad Patres properas, *ad quos*, inquis, *si quando licebit accedere, confectum est prælium.* At nimiùm, inquam, properas, & multa transcurris. Confectum tu prælium dicis? Quis vicit? Iudicrum hoc quidem est, & nimiùm ioculare. Sed hoc tuum est genus præliandi, triumphū antè victoriam canere. Verùm attendo quemadmodum hoc prælium tam citò

Socrat. lib. 1. cap. 8.

tamque

tamque mirificè confeceris, *Patres enim*, inquis, *tam sunt nostri, quàm Gregorius ipse decimus tertius filiorum ecclesiæ pater amantissimus*. Liceat mihi tibi tuis verbis respondere, *Spectatum admissi risum teneatis?* Quid enim dici potuit languidiùs, ineptiùs, absurdiùs? Quem nos filiorum ecclesiæ hostem capitalem & furiosum esse nouimus, eum tu patrem vocas amantissimum? & quam hoc verum est, tam illud esse verum concludis? Fateor: tam hoc, quàm illud, vtrumque enim falsissimum. Non ne hoc prælium egregiè nunc confectum esse putas? & sic tu soles Campiane, prælia conficere, aciesque hostium maximas profligare. Quid nunc restat, nisi vt in Vaticanum victor cum insigni laurea inueharis, & te cum patre tuo amantissimo, bono illo sene Gregorio, ad multos annos oblectes.

Perge verò Campiane, & victoriam, quam nactus es persequere. *Nam integra*, inquis, *volumina horum tenemus, quæ de industria religionem quam tuemur, euangelicam distinctè copioseq; dilucidant.* Nunc copias nobis tuas recenses ac commemoras, quibus hoc bellum confecisti, tene verò & quàm potes diligenter obserua, ne fortè defectionem aliquam parèt, atque à vobis in nostra castra transeant. Inuiti enim vobiscum sunt, & quando grauior aliqua pugna incidit, toti ad nostras partes transvolant, & vos acerrimè lacessunt atque oppugnant. Sed hæc tua volumina euoluamus. *Duplex*, ais, *Hierarchia Martyris Dionysij, quas classes, quæ sacra, quos ritus* Dionisius Areop.

edocet? Certè verò nouos, atque in ſacris literis inauditos. Eos nos quidem vobis integros cum iſto Dioniſio relinquimus. Etſi enim hic, quicunque fuit, Donyſius & tempore perantiquus & ſcribendi genere non indoctus fuit, tamen Ariopagitam fuiſſe illum, quem Paulus Athenis ad fidem traduxit, prorſus incredibile eſt. Si quæris à me cauſam cur ita ſentiam, peto à te vt quid & Laurentius Valla, & Eraſmus Roterodamus de iſto ſcripſerint, attentè ac conſideratè perlegas, qui ita multas non fictas ſuſpiciones, ſed rationes grauiſſimas collegerunt, quibus hunc non fuiſſe illum qui dicitur perſuadeant, vt te ipſum vix repugnaturum exiſtimem. Itaque nec Luthero nec Cauſſæo meritò potes ſuccenſere, ſi hominem perſonatum paulò aſperiùs acceperint, ac liberè de illo iudicarint. Quod de Ignatio ſcribis, quo & Centuriatores & Caluinus offenſus eſt, huius quidem offenſionis cauſas iuſtiſſimas agnoſco. Si enim illum ab hæreticis introductum tanquam improbæ ac deteſtãdæ ſententiæ patronum Caluinus repulit, id iure grauiterque fecit, quam rectè ſit & verè introductus, non dico: id illi viderint. Veritas tamen eius nomine premi non debuit, qui fidem aut nullam aut exiguam habet. Nam quid de iſtis Ignatij epiſtolis doctiſſimus quiſque iudicet, non ignoras. Eius quidem nonnullas epiſtolas Euſebius, aliquas Hyeronymus commemorat: ſed ei nunc plures aſcribuntur, de quibus illi non meminerunt. Et huius quoddam dictum reci-

Ignatius.

tat Hieronymus, aliudque Theodoritus, quod in istis quæ circunferuntur epistolis nusquam reperitur. Quid quæris? Gratianus ipse tuo Ignatio non nimium tribuit. Itaque hi duo quos in prima acie collocas, quam sint obscuræ dubiæque fidei vides. *Hieron. dial. 3. cont. Pelag. Theod. dial. 3. ἀπαθὴς.*

De Irenæo non placet, quod Censores, quos vocas, *ei fanaticum*, nescio quid, obijciunt. Irenæum certè non solemus contumelioſè appellare, quem virum fuisse sanctissimum & doctissimum confitemur. Sed quid hoc rei est? an si quid forte fanaticum edidit Iræneus, mox vester totus erit? aut si minùs prudenter rectèque aliquo in loco senserit, idque à nobis animaduersum fuerit, nos eius integra volumina repudiamus? Siccine disputas Campiane, siccine præliaris? Nam si nullum vnquam verbum Irenæo putas minus commodum excidisse, aut quod iure fanaticum dici posset, explica ergo nobis Campiane, quemadmodū Christus vno tantum anno prædicauerit, & tamen anno trigesimo baptizatus, quinquagesimo morte affectus fuerit. Itàne Christum anno duntaxat vno, eoque quadrageſimo docuisse credamus? An hoc tu nouum admodū, & peregrinum, & penè dixerim, fanaticum esse negabis? Quid etiam quod Irenęum multi vnum ex ijs fuisse scribunt, quos veteres Chiliastas appellarunt? Num illam tu sententiam non censes esse fanaticam? Et tu etiam de Clemente dubitas, an Zizania nonnunquam sparserit? Quid ergo est, quod Christum verè *Irenæus. Lib. 2. cap. 29. Clemens.*

Strom. lib. 3. negat aut esurijsse aut sitijsse? & vno tantùm
Strom. lib. 1. anno docuisse, quod acceperat ab Irenæo? &
Strom. lib. 5. philosophos in inferis Christi aduentum expectasse, eiusque voce edoctos credidisse? Ista tu zizania esse non confiteris? Atq; eiusmodi multa in alijs illius æui præstantissimis viris inueniuntur. Si negas, profer mihi vnum, cuius ego non aliquod erratum vel te iudice conuincam.
Tertullian. Tertullianum non audes dicere à nobis esse iniuriâ notatum: Sed tamen iubes meminisse, libellum de præscriptionibus nunquam fuisse reprehensum: quod quidem ego non possum meminisse. Quanquam certè fateor egregium esse scriptum, quod nominas, in quo multa contra
Hippolytus. ecclesiam tuam præscripta sunt diuinitus. Hippolyti verò miror te non puduisse, cuius ipsum penè puduit Hardingum. Noli, inquam existimare istis nos minutulis authoribus quicquam conturbari, qui nunc primùm è suis tenebris extracti vix lucem ipsam aspicere didicerunt. Quis enim iste fuit Hyppolytus? Scripsit, inquis, de Antichristo. At quàm bellè? Ineptus ille, quem quidam nescio quis, superioribus diebus edidit, Hippolyti libellus Antichristum fore Dæmonem suspicatur, aliaque multa fingit, quæ nec vera esse possunt, nec vnquam pro veris habita sunt. Et tamen miraris hunc à nobis contemni, quem nulli curant, nulli legunt, nulli penè norunt. Hunc ego vt in tuis numeres facilè patior, atque ei si placet locum aliquem in tuo exercitu illustriorem assigna.

Grauius

Grauius autem eſt, quod de Cypriano obijcis, quem omnes propter doctrinã præſtantem fidemq; ſingularem venerantur. *At illum Cauſſæus ſtupidum et deſtitutũ Deo, Magdeburgici deprauatorem pœnitentiæ nuncupant.* An mihi neceſſe erit dicta ſingula, quæ quiſquam protulit aliquando, præſtare, aut defendere? Cauſſæum illum nec vidi vnquam, nec antehac audiui. Doctum aliquem piumq; virum eſſe ſuſpicor, quem tu tam odiosè appellas. Verum de Cypriano id reſpondeo quod apud Nazianzenum memini legiſſe, ineunte ætate diſſolutum, multiſq; vitijs deditum fuiſſe, dæmones coluiſſe, & dæmonũ operã adhibuiſſe. δαιμόνων, inquit, ἦν θεραπευτὴς ὁ χρισῶ μαθητὴς ὕστερον. Tua me cogit importunitas ea dicere, quæ tacere maluiſſem. In patrum enim vlceribus tanquam vnguis hæres, nec deſinis refricare, quæ præſtabat non attingere. Iam ſi vera ſint, quæ ſcribit de Cypriano Nazianzenus, potuit Cauſſæus & ſtupidum, & Deo deſtitutũ illo tempore dicere Cyprianum. Non enim credam id Cauſſæum ſimpliciter ſcripſiſſe, aut quenquam de pio Martyre tàm iniquè cogitare potuiſſe. Quod autem Magdeburgici deprauatam ab eo pœnitentiæ doctrinam queruntur, crimen illi non fingunt, ſed produnt. Id enim nimiũm fuiſſe verum omnes intelligunt. Neq; hoc vnius fuit Cypriani, vt de pœnitentia admodum incommodè atq; imprudenter nonnulla ſcriberet, ſed in eo er-

Cyprian.

Nazianz. De Cypriã.

rore omnes pene illo tempore ſanctiſſimi patres extiterunt. Cum enim mores hominum ſeueriſſimis legibus aſtringere ac coercere cuperent, pœnitentiæ partem maximam in externa quadam vitæ diſciplina, quam ipſi præſcripſerant, poſuerunt: Quod tam acerbè in hominum vitia animaduerterint, tamque acres ſcelerum vindices extiterint, in eo forſan ferendi erant: at quod iſto modo peccatorum pœnas perſolui, Deique iuſtitiæ ſatisfieri, & ſibi ipſis impunitatem certamq; remiſſionem ac iuſtitiam cõciliari ſenſerint, in eo de Chriſti morte nonnihil detraxerunt, ſuis inuentis nimium tribuerunt, & denique pœnitentiam deprauarunt. Nullis enim officijs operiſque noſtris, ſed ſolo Chriſti ſanguine & ſupplicio peccata noſtra expiantur. Atq; ita tibi de pœnitentia reſponſum eſt. Nec tamen hoc nomine vel Cypriani, vel cuiuſquam ea ætate patris libros contemnimus aut explodimus, id quod tu falsò affirmas. Nam & hunc, & reliquos in ſummis cauſis habemus nobis adſtipulantes. Verùm id tibi tuiſq; datum eſt, vt in ſingulis authoribus ea, quæ ſunt vitioſiſſima, conſectemini, quaſi religio fideſque veſtra ex vniuerſis omnium patrum erroribus conflata eſſet.

Quenam autem illi ſint, quæ ad Cornelium Cyprianus ſcripſerit, vt niſi ei fides detrahatur, *Petrus Martyr, omneſq; cum eo fœderati, peiores adulteris & ſacrilegis habeantur*, quemad-

quemadmodum tu ais, non equidem poſſum coniectura aſſequi. Literas ad Cornelium datas eſſe à Cypriano multas intelligo, quæ nobis nullum vel adulterij, vel ſacrilegij crimen aſcribunt: nec tu potes ex illis literis aliquid proferre, quod vel noſtram lędat, vel tuam cauſam adiuuet. Sed hic tuus ſemper mos eſt, nihil enucleatè clareq; conuincere, nuda duntaxat patrum nomina adhibere, atque ex illis ſuſpiciones quaſdam vagas & incertas concitare. Quod autem *de triclinijs, & paluillis* deinde ſcribis, quia præter conuitium e triuijs arreptum nihil habet, prætermitto. Et nunc ad eam ætatem deſcendis, quæ proximè conſequuta eſt, & Chryſoſtomum, Nazianzenũ, Ambroſium, Hieronymum nominas. Quorſum autem? Quid ſi enim Chryſoſtomum Lutherus perſtringat, quòd dum merita, noſtraque opera nimium extulerit, iuſtitiam fidei, non nihil obſcurauerit? Quid ſi Cauſlæus aliquam in Nazianzeno fabulam deprehendat? An hi patres proinde toti tui ſunt? Deſipere hoc quidem eſt, & quid dicas vel non conſiderare, vel non curare. Ambroſium dixit aliquis, a Cacodæmone faſcinatum, Dictum nè hoc ſit a quoquam, an non, neq; ſcio, neq; admodum intereſt. Faſcinari nonnunquam etiam optimi atque integerrimi homines poſſunt, quo minùs in re aliqua verum perſpiciant: & tu nimium es malitioſus, qui ex ijs dictis, quorum vera ſententia eſſe poteſt, quia ſta-

Chryſoſtom.

Nazianzen.

Ambr. ſuus.

tim videntur odiosa, nobis inuidiam infamiamq; conflare conaris. Equidem multos legi, atq; nonnullos audiui singulari importunitate ac petulantia papistas, sed improbiorem, quàm te, noui certè in vita neminem. Ita nullū facis mentiendi finem, nullum de te hominum iudiciū pertimescis, nullam in dictis fidem præstas. Iam enim Bezam nouo mendacio aggrederis. Eum scripsisse dicis Hieronymum *Æquè esse damnatum atque Diabolum: iniuriosum Apostolo, blasphemum, sceleratum, impium fuisse.* Ista ego à Beza minimè dicta esse testor, & confirmo. Locum ipsum, qui volet, inspiciat: nullam deprecor infamiam, si fallo. Nam prima illa, *Damnatum esse Hieronymum æquè ac Diabolum*, aut arrepta sunt aliunde per calumniam, vt omnia, aut omnino ficta sunt, vt plurima. In isto quidem loco nulla sunt eiusmodi. Quod autem *ad iniuriam blasphemiamq; attinet*, ipsa Bezæ verba ascribam, vt frontem tuam omnes agnoscant. *Imo Hieronymus*, inquit Beza, *(si verum est quod de eo scribit in hunc locum Erasmus,) non modò in eo facit Apostolo iniuriam, quod mansuetudinem hîc requirat, vbi sese planè heroica virtus prodit: verumetiam apertè blasphemus est in eo, quòd in ipso Christo aliquod imperfectæ pietatis vestigium inuenit.* Hæc ille: quæritur autem de illo Pauli acerbo apud Pontificē responso, in quo Hieronymus teste Erasmo, in suis aduersus Pelagium Dialogis, mansuetudinem nonnullam desiderat: nec id modò, sed

Beza in annot. noui Test. in Act. Apost. 23.

in

in ipsò quoq; Christo *pietatis imperfecta vestigium inquirit*. Quæ si verè de Hieronymo Erasmus affirmauit, quid ni illum in altero iniurioſum Apoſtolo, in altero blaſphemũ erga Christũ meritò Beza potuit exiſtimare? quid enim fingi potuit aut Apoſtolo indignius, q̃ vt nimis iracundè Pontifici reſpondiſse, aut in Christũ Blaſphemius, q̃ vt virtute parum perfecta præditus fuiſse diceretur. Hieronymi verò deinceps Beza nimiam in ſcripturis detorquendis audaciam reprehendit, in quo iuſtiſsimam profectò reprehenſionis querimoniæq; cauſam habuit. Aut enim ſcripturas Hieronymus aliquando detorſit, aut ita illæ faciles molleſque ſunt, vt quouis inflecti poſsint. Et quidem admodum profligatum eſse oportet, qui ſingulas Hieronymi interpretationes defendat. De Caluino verò, quem Gregorius Maſsouius *Pluris facit, quàm centum Auguſtinos: & Luthero, qui mille Auguſtinos, Cyprianos, eccleſias aduerſum ſe nihili æſtimat*, reſponſio iam expedita eſt. Quiſquis verum dicit, in eo potior eſt ijs vniuerſis, qui verum videre non potuerunt. Itaque qui vel horum patrum, quos nominaſti, vel cæterorum, quos hîc ſimul commemoras, Optati, Athanaſij, Hilarij, Cyrilli, Epiphanij, Baſilij, Vincentij, Fulgentij, Leonis, Gregorij Romani errores deprehenderunt, ſuoſq; lectores de illis admonuerunt, ij non modò nulla procacitate vſi ſunt, ſed laborem & eccleſiæ neceſſarium, & pijs omnibus pergra-

tum atq; vtilem ſuſceperunt: ſemper enim & veræ ſcripturarum expoſitiones eccleſijs proponendæ ſunt, & contrariæ repudiendæ.

Hieron. Paulin. Recte Hieronymus, *Vitioſiſſimum eſt*, inquit, *docendi genus deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem.*

Auguſtin. Quare cum Auguſtino profitemur: *Omnium ſcriptorum dictaindicanda ſunt ſecundum diuinam ſcripturam, cuius eſt maior auctoritas, quam totius humani generis capacitas: non quod damnem illuſtriſſimarum patrum ſententiam, ſed quod eos imiter, qui proxime ſcripturæ accedunt, ſed præ omnibus, ſi aperta fuerit ſcriptura, eam ipſam amplector.* Nihil ergò inſolenter, nihil procaciter, nihil arroganter facimus, ſi patrum voces expendimus, atq; ad lumen ſcripturarum examinamus. Sed vos ſcripturarum *Lucifuga*, vt loquitur Tertull. ſemper extitiſtis, eoq; tàm diligẽter patrũ latebras præmunitis, vt ſemper aliquem per fugij locũ habeatis. Quando enim ſcripturæ deficiunt, quid reſtat aliud, quã vt vndiq; ſubſidia comparetis, vel infimorum?

Tertullian. de reſurrect.

Verùm doces, *quamobrem nos patres tantopere fugiamus*. Mallem dixiſſes, quamobrem vos ſcripturas tam ſtudioſè declinetis. *Nam qui ſtata*, inquis, *ieiunia oderũt, infenſo animo ſunt in Baſilium, Nazianzenum, Leonem, Chryſoſtomum, qui de Quadrageſima conciones egregias publicarunt*. Stata & legitima ieiunia Chriſtus in Euangelio nulla præſcripſit, & Quadrageſima ſatis longo pòſt interuallo inſtituta eſt, cuius illis temporibus non vna

fuit

fuit in omnibus eccleſijs ratio, nō mos idem. Publica verò ieiunia ac Chriſtiana, quæ ad temporum atq; eccleſiarum occaſiones accommodantur, & probamus, & exercemus: veſtras ieiuniorum ſtatas ſolennitates atq; in orbem perpetuò recurrentes, quia ſuperſtitionis plena ſunt, & libertati Chriſtianæ inimica, merito repudiamus. De ieiunijs id exiſtimamus, quod docuit Auguſtinus, *Quibus diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat præcepto domini vel Apoſtolorum non inuenio definitum.* Itaque ſtatas illas veſtras atq; anniuerſarias ieiuniorum ceremonias, & illam præſcriptam certo tempore ac numero dierum Quadrageſimum veſtram non agnouit Auguſtinus. Deinde ais, *Qui animas auro, libidine, crapula, & ambitioſis conſpectibus vendiderunt, poſſunt ne non eſſe inimiciſſimi Baſilio, Chryſoſtomo, Hieronymo, Auguſtino, quorum libri de monachorum inſtituto teruntur.* An tu, qui Monachi non ſunt, eos omnes auaritiæ, libidini, gulæ, ambitioni deditos eſſe cenſes? Id tibi, niſi corrigas, erit capitale. Neque enim vel Pontifex, vel Cardinales, vel Epiſcopi ſibi neceſſarium aut conſentaneum eſſe arbitrantur, vt opes ampliſsimas, voluptates perpetuas, epulas delicatas, ſplendorem honoremque regium deponant, ſeq; in monaſterium aliquod compingant. Qui ſic viuunt, quemadmodum illi ſolent, ij certè nec Baſilio, nec cuiquam ſancto homini amici eſſe poſſunt. Ita enim libidine

Auguſtin. epiſt. 86.

luxuque diffluunt, ita voluptatibus, conuiuijs, ambitioni ſuæ inſeruiunt, ita denique vitæ rationem omnem inſtituunt, vt ex Epicuri potiùs hortulis homines voluptarij, quàm e Chriſti ſchola ſeueri magiſtri prodijſſe videantur. Quis neſcit totius orbis diuturnam de vobis & iuſtiſsimam querelam? & tamen non pudet ea te nobis obijcere, quæ vitia eſſe veſtra omnes intelligunt. Nam inter præſules Monachoſque veſtros, quorum tu egregia inſtituta & arctiſsimam diſciplinæ grauiſsimæ regulã commemoras, ac cæteros mortales tantum iamdudum interfuit, quantum ſe Tarentini alijs hominibus præſtare dixerunt, quòd alij dum multum ſudarent, & operis ſemper aliquid agerent, vt poſſent viuere compararent, ipſi demum verè viuerent, quia ſe totos voluptatibus tradiderunt. Et quidẽ ea vita veſtra fuit, vt cæteri vix viuere viderentur, ſi id tandem eſſet viuere, quod illi putauerunt. Verùm quid ego vobis plura de ieiunijs, & monachorum inſtitutis reſpondeam, qui nec monachum vllum in omni eccleſia veſtra antiquis illis ſimilem habetis, nec vetera ieiunia retinetis? Sed pergis etiam alia nobis multo tetriora obijcere. *Qui captiuam hominis voluntatem inuexere, qui Chriſtiana funebria ſuſtulere, qui diuorum reliquias incendêre, ſint ne,* inquis, *placabiles Auguſtino?* Nulli nos Diuo iniuriam fecimus, Campiane, nec cuiuſquam aut reliquias incendimus, aut ſancta funebria

Athenæus.

bria ſuſtulimus: profanam modò ſuperſtitionem,& maieſtati diuinæ gloriæq; iniurioſam ferre non potuimus. in quo & Deum ſequuti ſumus ducem atq; authorem, & Auguſtinum habemus aſſentientem. At qui captiuam hominis voluntatem inueximus, quî, inquis, Auguſtino placabiles ſimus? Quid ni verò ſimus? *Qui libros*, inquis, *de libero arbitrio tres conſcripſit*. Inſulsè admodum & ridiculè. Scripſit Auguſtinus libros de libero arbitrio tres, ergo Auguſtinus hominis voluntatem liberam facit. Si hoc valet, illud quoque valeat, ſcripſit Auguſtinus dē duabus animabus contra Manichæos librum, de mendacio librum, de quantitate animæ librum, ergo Auguſtinus duas in homine animas poſuit, mendacium laudauit, animæ quantitatem & magnitudinē tribuit. Nam quid, obſecro, intereſt? Illos, ab Auguſtino conſcriptos eſſe, quos dicis, libros fateor: ſed ij libri noſtram ſententiam nō euertunt, qui captiuā hominis voluntatē inueximus. Neque id tu dixiſſes, aut horum librorum mentionem vllam feciſſes, ſi libros ipſos perlegiſſes. Illos enim libros Auguſtinus contra Manichæos ſcripſit, in quibus non de hominis libera voluntate, de qua contendimus, ſed de cauſa peccati diſputat, quod a libero arbitrio fluxit. atq; hos libros de libero arbitrio inſcripſit, quia in ijs id agit, vt fontem peccati ac principium, non in Deo, ſed in libero arbitrio reperiri doceat:

quod tu facilè e libris retractationem discere potuisti. Sic enim scribit, *Propter eos susceptа est disputatio, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci, & Deum, si ita est, creatorē omnium naturarum culpandum esse cōtendunt:* & deinceps negat omnino ei in animo fuisse, vt his in libris de ea voluntate diceret, quam dei gratia liberat. Quicquid autem ei in libris illis exciderat, quod Pelagianis, qui liberum arbitrium inuexerunt, quemadmodum vos facitis, fauere videretur id diligenter ex omni opere colligit, atq; ab illorum calumnijs vindicat. An nos Augustino succenseamus, qui nobis noluit in ista causa esse inimicus? Atque vt planè perspicias hos de libero arbitrio libros a te fuisse temere introductos, audi quid his ipsis in libris de hominis voluntate scripserit. *Tu tantum*, inquit, *pietatem inconcussam tene, vt nullum tibi bonum, vel sentienti, vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non sit ex Deo*. Atque hæc fuit Augustini de arbitrio hominis perpetua sententia, postquam causam ipsam excitatus a pelagianis penitus didicisset, vt perditum, & funditus sublatum iudicarit. *Libero enim* (inquit) *arbitrio male vtens homo, & se perdidit & ipsum.*

Retract. lib. 1. cap. 9.

De lib. arbitr. lib. 2. cap. 20

Enchir. cap. 30

Sed Augustinum adhuc nobis obijcis. *Qui enim*, inquis, *suis captiunculis fidem metiuntur, nonne succenseant Augustino, cuius est insignis epistola contra Manichæum?* Epistolam vocas Campiane, quæ semper habita est

pro

pro libro? At quid contra nos in ea, quam dicis, epiſtola ſcripſit? *Quæ ſe profitetur antiquitati, conſenſioni, ſucceſſioni perpetuæ, & eccleſiæ, quæ ſola inter tot hæreſes Catholicæ nomen vſucapione vendicat, aſſentire?* Et illi nos Eccleſiæ, quæ iſta habet omnia, aſſentimus. Tamen iſtis illam ſyncerißimam ſapientiam ac veritatem, de qua eodem in loco ſcribit Auguſtinus, accedere oportet, aut nos hæc ſimul vniuerſa tenere minimè debent. Nam & hæc, ſi illa ſapientia careant, nihil valent, & illa ſapientia ac veritas ſine iſtis per ſe alijs rebus omnibus eſt præponenda. Sic enim Auguſtinus, *Veritas ſi tam manifeſta monſtratur, vt in dubium venire non poſsit, præponenda eſt omnibus illis rebus, quibus in Catholica teneor.* Ijs ergo omnibus, quę tu commemoras, antiquitati, conſenſioni, ſucceſsioni, ſolam illã veritatem ſynceramq; ſapientiam Auguſtinus anteponit: & nos, quia hanc ſapientiam ac veritatem ſic eſſe in noſtris eccleſijs manifeſtã perſpicimus, vt nemini dubium eſſe poſsit, quin nos verum teneamus, qui verum videre volunt, vobis integrum facimus, vt ſinè veritate antiquitatem, quantam voletis, & conſenſionem, & ſucceſſionem venditetis. Iam ergo cauſam fuiſſe nullam vides, quamobrem nos Auguſtino vel nunc vel antè ſuccenſeremus. Sed miſſum tandem facis Auguſtinum, atq; euocas Optatum Mileuitanum, de quo quid ſentiamus, aues, inquis, cognoſcere. Fuiſſe quidem bonum patrem, &

Contra Fauſtum cap. 4.

& Auguſtino ſimilem exiſtimo, eaſq; laudes veras eſse cenſeo, quas illi ab alijs ſummis viris tributas video. At is Donatianam partem reuincit ex communione Catholica. Quid ni reuinceret? aut quid illud ad nos pertinet? Idem etiam Auguſtinus facere ſolitus eſt: & multum hoc quidem ad perſuadendum valuit, vt eccleſiæ Catholicæ communionem ſchiſmaticis Donatiſtis obijceret, qui ſe ab eccleſia ſine cauſa per ſeditionem diſiunxerant. At veſtram eccleſiam negamus eſſe catholicam, ac proinde eo modo reuinci non poſsumus, quo Donatiſtas Optatus refutauit. Priùs enim de eccleſia conſtare oportet, quàm nos ſchiſmatis conuincamur. Fuit tum eccleſia Romana religionis veræq; fidei cuſtos, vindex, magiſtra, cunctiſq; alijs eccleſijs lumen quoddam au- *Irenæus. Auguſtin.* thoritatis prætulit. Itaque mirum non eſt ſanctiſsimos patres huius eccleſiæ dignitatem tanti feciſse, eiuſq; exemplum tanquam grauiſsimum præiudicium hæreticis ſemper obieciſse. Hinc fit vt decreta, & ſucceſsionem pontificum Romanorum nonnunquam commemorent, dum fidem facere volunt, illas quas refellunt hæreſes, in ampliſsima atque auguſtiſsima eccleſia fuiſse inauditas. Verùm ab illo tempore eccleſiæ orbis conuerſus eſt, ſedeſque Romana de ſuis ſpacijs deflexit, atque a fidei integritate ad nefandam perfidiam degenerauit. Redde nobis veterem, Campiane, illam Romanam eccleſiam,

ſiam, & ab ea nos diuelli nunquã patiemur. At illius præter parietinas ac rudera nihil nunc retinetis: nec tamen eccleſiæ Catholicæ nomen crepare deſiſtitis. Quod autem altarium meminiſti, in quibus Chriſti membra portata ſunt, & calicum, qui Chriſti ſanguinem tenuerunt, non ignoro multa de altaribus apud antiquos patres reperiri, quæ tamen in Africa non lapidea, ſed lignea fuiſſe potes ex Auguſtini ad Bonifacium epiſtola cognoſcere. Et membra Chriſti ac ſanguinem in ſacris myſterijs percipi non nego, ſed modo cœleſti, ac ſpirituali, ſanctæq; fidei proprio. Veſtram enim σαρκοφαγίαν Optatus ignorauit, nec Chriſti vetus eccleſia de tanto monſtro vel vnquam ſomniauit. Epiſtola. 59.

Athanaſij Symbolum, inquis, *concinunt, ſed ipſi non ſauent*. Quamobrẽ? Quia Antonium Eremitam laudat. Bellè: quaſi nos tam ſimus inuidioſi, vt laudari neminem æquo animo patiamur. imo aliud eſt: *Iudicium ſedis Apoſtolicæ cum Synodo Alexandrina ſupplices et appellauit*. At hæc epiſtola tota eſt ſuppoſititia, ex aſſentatione intoleranda, & crebris mendacijs concreta. Prudentium autem fateor vt poëtam eos ipſos Martyres nonnunquam appellare, quorum res geſtas verſibus erat complexus. & iam altiores eo tempore radices in eccleſia mos ſuperſtitioſus egerat diuos implorandi: qui quaſi tyrannus ſanctos patres aliquando abduxit in errorem. Vigilantium & Iouinianum, quos Hieronymus *Athanaſ. epiſt. ad Fœlic. 2.*

mus ſcriptis acerbiſſimis inſequitur, non defendimus, ſi ea docuerunt, quorum inſimulantur. Ambroſio verò facilè permittimus vt ſuum Geruaſium ac Protaſium honeſtet atq; ornet. Nec omnino ſumus auerſi a Gregorio, cui vos multò quidem iuſtiùs, quãnos, offenſi eſſe debuiſtis. *Quod autem imagines, illiteratorum libros appellauit*, id nec in ſchola ſpiritus ſancti didicit, nec e patrum ſuperiorum libris hauſit. Et iam longam hanc patrum ſeriem tandẽ abſoluiſti, quã quorſum iſto modo pertexere volueris, cupio cognoſcere. Quid enim? adeòne aut ipſe ſtupidus es, aut eſſe alios ſuſpicaris, vt tibi iſto modo argumentanti aſſentiantur: Lutherus, Caluinus, & horum fœderati Irenæum, Tertullianum, Cyprianum, Chryſoſtomum, Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, Gregorium, Baſilium, Nazianzenum, erraſſe aliquãdo, quibuſdam in cauſis, in hoc vel iſto libro, nec verum certæ ſcripturæ ſenſum vidiſſe, & falli interdum, id eſt, homines eſſe ſcribunt: quare hos omnes patres explodunt, abijciunt, damnant? Hoccine vis Campiane? At ipſi ſæpenumero manifeſtis patrum teſtimonijs cuicti negatis vos cuiuſquam patris authoritate alligari, & ad eccleſiæ iudicium ſententiamq; prouocatis. An tecum putes non actum iniquiſſimè, ſi hinc a te integra patrum volumina improbari concludam? At hic tuæ diſputationis exitus eſt, atque huc omnia referuntur, quia nonnulla reprehendimus, quæ defen-

defendi his ſcripturis non poſſut, omnia vniuerſè violari, patribus infandam iniuriam contumeliamque fieri, ſcelus indignum atq; inauditum admitti. Noli exiſtimare, Campiane, ita eſſe infantes noſtros Academicos, vtquid inter calumniam tuam, factique noſtri ſummam æquitatem interſit, non perſpiciant. Patres & magni facimus, & aſſiduè legimus, & cunctis accuratioris Theologiæ ſtudioſis legendos proponimus. Ita enim & ſcientiam noſtram efficimus pleniorem, & ſumus contra vos armatiores.

Multa deinceps prætermittis, ne te dies deficiat, epiſtolas, conciones, homilias, orationes, opuſcula, diſceptationes patrum, quibus catholicorum dogmata roborantur. Fragmēta forſan aliqua dicis in angulis proiecta, quæ ſine maximo labore ac nonnullo faſtidio colligere non potuiſti, cuiuſmodi tamen permulta paucis hiſce annis a tuis collegis diligentiſſimè perueſtigata in lucem prodierunt. *Quamdiu*, inquis, *apud bibliopolas iſta venierint, tamdiu fruſtra noſtrorum codices prohibentur*. Dolemus a vobis ea ſcribi, quæ neceſſariò prohibenda ſunt. Niſi enim & rempub. ſeditione turbari, & eccleſiam hæreſi laborare, & mentes hominum nefarijs opinionibus imbui pateremur, libros veſtros ab omni aditu propellere oportebat. Nam ſi magiſtratus cauere diligenter ſolent ne qua peſtis contagio in ſuam ciuitatem aliunde inferatur, multò quidem magis prouiden-

uidendum est, ne libri pestilentes & pernicioſi, e quibus homines illiterati errores mortiferos hauriunt, palam in foro volitare poſsint. Neq; id nullo exemplo facimus. Potes enim meminiſſe tẽporibus Marianis iure caſtrenſi in eos actum eſſe, apud quos librorum noſtrorum fortè aliquis inuentus eſſet. Si nobis id tam capitale fuit, vt mox tãquam rei læſæ maieſtatis ſine iudicio ad ſuppliciũ raperemur, non debes exiſtimare librorum veſtrorum impunitatem tantam nunc eſſe oportere, vt vbique ſint & publicè vænales. Sanctorum patrum libros ex omnibus mercaturis ad nos importandos curamus, eoſque emimus, in omnibus priuatis, publiciſq; bibliothecis ſeruamus, in clariſsimo lumine collocamus, vt non modò ex vultu, ſed ex aſsidua conſuetudine cognoſcantur. Nam quod ais, *Nullum nec Sanderum, nec Hardingum, nec Alanum, nec Stapletonum, nec Briſtolium hæc ſomnia vehementiùs, quàm hos patres inſectari*, hoc dictum tanquam legitimam acceſsionem ad tua cætera adiungimus. Hi tui, quos nominas, veterani quicquid aut lectio, aut ocium, aut ars, aut ingenium, aut operæ, aut malitia potuit ſuppeditare, id totum in hac cauſa adhibuerunt, nec quicquam profecerunt. Tum tu, qui cum iſtis nec conferendus es, id te poſſe ſperas, quod illi non potuerunt? Tamen ais, *Talia cogitanti animum tibi accreuiſſe & deſiderium pugnæ*. Deploro quidem audaciam, Campiane, temeritatemque

tuam,

tuam, qui teneri non potes, quin perditam cauſam cum certiſsima famæ & ſalutis tuæ iactura defendas. Et cupio diem ego illum tibi eſſe datum aliquando, in quo tuas omnes poſſes in ea, quam expetis, pugna vires experiri.

Iohannes inquis *Iuellus te adoleſcente catholicos laceſſiuit, inuocatis & imploratis patribus, quicunq; intra ſexcenteſimum annum claruiſſent.* Fecit ille vir ſummus, quod verè ſe facere poſſe perſpexit. Patres omnes ſingulari diligentia iudicioque perlegerat: fucum imperitis fieri a vobis ſenſit, pernicioſum errorem ſuis hominibus eripere voluit. Itaq; nulla, vt tu dicis, iactantia, ſed diuina quadam virtute & veri conſcientia fretus totam Papiſtarum gentem in certamen euocauit, vt ſi poſſent ſuas opiniones vel ſcripturis ſacris, vel conciliorum patrumq; teſtimonijs cõprobare, vincerent, ſi non poſſent, victos ſe fatercntur. *Accipiunt*, inquis, *conditionem memorabiles viri, qui tum exulabant Louanij.* Horũ princeps Hardingus fuit, qui vnus auſus eſt cominus congredi. At quàm ille præclarè ſe geſsit in iſta conditione? Patres Iuellus appellat: Hardingus Clementes quoſdã, Abdias, Martiales, Hippolytos, Amphilochios, atq; eiuſmodi alios veneranda antiquitate patres producit. Si vero, vt iactare ſemper ſoliti eſtis, antiqui patres eccleſiæ veſtri ſunt, quamobrem tam fœdè Hardingus tergiuerſari voluit, vt iſtos, neſcio quos, terræ filios

recèns natos, quos nemo antè aut ſalutauerat, aut viderat, aut audiuerat, teſtes in cauſa grauiſſima, in qua iudicium antiquitatis poſtulatum eſt, adhiberet, ipſos notiſſimos & nobiliſſimos patres de induſtria declinaret? Hæccine illa eſt canicies, quam narras? hos è ſuis ſepulchris erui oportuit, vt deſperatæ cauſæ ſubuenirent? Audi vero Campiane: quam ea die Iuellus vocem veriſſimam ac conſtantiſſimam emiſit, quando ad ſexcentorum annorum antiquitatem prouocauit, vobiſq; obtulit, vt ſi vel vnicam ex aliquo patre aut concilio claram & dilucidā ſententiam afferretis, non recuſaret quin vobis palmam concederet, ea eſt noſtrûm omnium profeſſio, idem omnes pollicemur, fidem non fallemus. Anni iam ſunt viginti, nec tamen adhuc potuit a quoquam veſtrûm huic conditioni ſatisfieri: tu ſi te poſſe putas præſtare, quod tui magiſtri nó potuerũt, quid ceſſas, cur ſedes, quare cauſam optimam tamdiu frigere pateris? Sed nihil tu quidem potes, nulla tua lectio eſt, nullæ tibi vires ſunt, quæ tanto labori pares eſſe poſſint. Iuellum verò doctiſſimus Humfredus in eo minimè reprehendit, quòd nimiùm prolixè de patribus promiſerit, aut minùs quàm dixerit, præſtiterit: ſed quòd plus vobis, quàm erat opus, conceſſerit, & cauſam a ſcripturis ipſis iudicatam ad patrum calculos reuocarit. Quod tamen ille non eò fecit, quaſi ſcripturæ parum confideret, aut quòd in ea non

ſatis

ſatis eſſet ad omnes omnium papiſtarum errores refutandos, ſed vt illam inſolentem & falſiſſimam de antiquitate calumniam, quæ multos tenuit, iugularet.

Pertentatum etiam aliquando dicis à te fuiſſe Tobiam Matthæum, vt reſponderet ingenuè, *poſſetnè qui patres aſſiduus lectitaret, eorum eſſe partium, quas ille ſuaſerat*. Etſi multa ſæpe in ſermone familiari dicimus, quæ narrari & manare latiùs nollemus, tamen id tibi ab ornatiſſimo Matthæo reſponſum eſſe datum non dubito, quod & rei veritati fuit conſentaneum, & ipſius iudicio ſapientiaque dignum. Credi patribus in omni re non oportet: nec fides noſtra è patrum dictis pendet. Errarunt illi nonnunquam, & errandi occaſionem alijs præbuerunt: legi tamen poſſunt, vt eorum veris doctiores, contrarijs cautiores ſimus. Atque hoc & ille, quem tu ſolùm e nobis verſare patres ſuſpicaris, vir eximius Matthæus Huttonus, & nos omnes arbitramur. Hæc poſtquam peroraras, deſcedere te velle ſecurum dicis in hanc aciem, bellaturum nobiſcum. Semper aciem, pugnam, prælium, caſtra, & tua nobis bella commemoras. Sed meminiſſe debes, communem eſſe belli Martem, & præliorum incertum exitum. εν γὰρ χερσὶ τέλος πολέμοιο, ἐπέων δ' ἐνὶ βουλῇς.

Edm. Campianus.

Sexta ratio. FIRMAMENTA PATRVM. Ioan. 5

SIquibus vnquam cordi cur aquè fuit id, quod maximopere noſtris fuit & eſſe debet. Scrutamini ſcripturas. Facile Principes & palmares in hoc genere ſanctiſſimi Patres exiſtere. Horum opera ſumptuquè, tot gentibus & linguis tranſcripta Biblia & importata ſunt: Horum periculis & cruciatibus, erepta de flammis hoſtilibus & vaſtitate: horum laboribus & vigilijs, omnem in partem enucleata ſtudioſiſſimè die noſtro, ſacras literas imbiberè, de ſuggeſtis omnibus ſacras literas edidere, immenſa volumina ſacris literis ditauere. fideliſſimis commentarijs ſacras literas explicuere, cibos & inediam ſacris literis condiere, occupati denique ſacris in literis ad ſenectutem decrepitam peruenere.

Quod ſi frequentes ipſi quoque, ab Auctoritate Maiorum, ab eccleſiæ Praxi, à Succeſſione Pontificum, à Concilijs Oecumenicis, à Traditionibus Apoſtolicis, à Cruore Martyrum, à Scitis Præſulum, à Viſis euentiſq; mirabilibus argumentati ſunt: tamen omnium maximè & libentiſſimè Sanctarum, literarum teſtimonia denſa conglobant, hæc premunt, in his habitant, huic armaturæ fortium, duces robuſtiſſimi, ſarta tecta Ciuitatis Dei contra nefarios impetus quotidie munientes, optimo iure primas partes bonoratiſſimaſque porrigunt. Cant. 4

Quo magis demiror illam exceptionem aduerſarij ſuperbam & fatuam, qui velut aquam in profluente quaritans, ſic in ſcripturis conferti ſimis ſcripturarum penuriam obiectat. Tantiſper ſe Patribus aſſenſurum dicit, dum ſacris literis adhæreſcunt. Num loquitur ex animo? Curabo igitur procedam armati atque ſtipati Chriſto, Prophetis, Apoſtolis, atque omni apparatu Biblico, celeberrimi auctores, antiquiſſimi Patres, ſanctiſſimi viri, Dionyſius, Cyprianus, Athanaſius, Baſilius, Nazianzenus, Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Latinuſque Gregorius

Gregorius. Regnet in Anglia fides illa, vtinã regnet, quam hi patres amicissimi scripturarum ex scripturis extruunt. Quas afferunt afferemus: quas conferunt, conferemus: quod inferunt, inferemus: placet? exscrea, dic sodes. Minime vero, inquis, nisi rectè exponant. Quid est hoc ipsum, rectè? Arbitratu tuo Nihil ne pudet Labyrinthi?*

Et regnet in Anglia nunc fides illa quam istis a tres coluerunt.

Ergo cum sperem in Academijs florentissimis, consociatum iri bene multos qui non pingui Minerua, sed acuto iudicio in has controuersias inspecturi sint, & horum responsa nugatoria libraturi, lætus hunc diem campi præstolabor, vt qui contra Syluestres tumulos mendiculorum inermium, nobilitatem & robur Ecclesiæ Christi cogitem educere.

Guiliel. Whitakerus.

QVænam hæc noua nobis patrum firmamenta proponas Campiane, non possum facilè deuinare. De patribus tibi responsum est, in quibus parum inesse firmamenti ad tuam causam stabiliendam euicimus. Id forsan ipse per te sensisti: itaque non satis hunc tutum tibi de patribus locum existimasti, nisi firmamenta quædam afferres, quibus ipsos patres faceres firmiores. Postquam enim ea dixisses de patribus, quæ tibi venire in mentem potuerunt, vt quidem dicta patrum vniuersa pro diuinis oraculis suscipere videreris, quia id nimis infirmum fuit, nec in eo tibi quenquam assensurum intellexisti, patrum nunc fidem firmamentis quibusdam communire & corroborare

voluisti. Huius autem disputationis hæc vis est, hoc vinculum, *Patres scripturas diligentissimè scrutabantur, sanctarũ literarũ testimonia densa conglobabant, his primas partes tribuebant, quare quas illi afferunt scripturarũ expositiones, his cõtenti esse debemus, meliores desiderare sine scelere non possumus.* Aut hic huius loci sensus est, aut omni locus hic sẽsu caret. Et quidẽ fateor sic ista a te lãguidè ac dissolutè proiecta esse, vt quorsum spectẽt, vix perspiciam. Quid enim dici potuit ignauius? Patres, vt scripturas intelligerent, studiosissimè elaborarunt: ergo, nunquam in scripturis interpretandis errarunt. At miras expositionũ pugnas dissensionesq; animaduertimus, quarum vt nullæ sint veræ fieri potest, vt plus vna sit, non potest. Vnum tibe è mille exemplũ apponã. Paulus Antiochiæ Petro se in os restitisse testatur: id cuiusmodi fuerit vis cognoscere, nec per te potes assequi. Miraris enim Petro Paulum, Apostolum Apostolo restitere voluisse, & forte mysterij aliquid subesse suspicaris. Ad partes te confers, Augustinũ, Hieronymum, duo præstantissima Latinæ ecclesiæ lumina, consulis. Quid ij referunt? Augustinus Paulum existimat ingenuè atq; ex animo loquutũ, Hieronymus simulatè. Si hunc probas, illũ improbes est necesse, vtriq; nõ potes assentire. Sexcẽta sunt eiusmodi. *Scio*, inquit Hieronymus *me aliter habere Apostolos aliter reliquos tractatores. Illos semper vera dicere, istos in quibusdam vt homines aberrare.* At illi tamen scripturas legerunt,

Gal. 2. 11

Augustin. & Hieron. in epist.

Hieron. in epist. ad Theophilum.

runt, versarunt, seq; totos in meditandis scripturis occuparunt. Ex his potes criminationis tuæ summam iniquitatem, nostræ defensionis iustissimam rationem perspicere. Nihil hic volo de patrum eximijs laudibus detractum: modo des fuisse homines, omnibus a te laudibus in cœlos, quorum nunc ciues sunt, esterri patior. Et vellem, quod illi perpetuò fecerunt, id aut ipsi faceretis, *Scrutamini scripturas*, aut nos facere sineretis: exitum hæc pugna procul dubio faciliorem reperiret. Vos autem scripturas, quas sua voce Christus sancinit, & nobis scrutandas commendauit, vt crucem fures, fugitis, horretis, ex hominum aspectu remouetis, & tamen nullum scrutandi finem facitis. Veteres enim, atque olim intermortuas traditiones, consuetudines, hominum inuenta, pontificu decreta, labes ecclesiarum, confictos, suppositosq; libros, nænias, quisquilias, somnia, fabulas terra mariq; conquiritis, sacras literas non nimium credo, ne noceant, attingitis. Ista aliquando vestra, quæ tam diligenter inuestigatis, abijcite, quod Christus præcepit, veteresque patres fecerunt, *Scrutamini scripturas: atque vtinam omnes* (vt inquit Origines) *feceremus illud quod scriptum est, Scrutamini scripturas*. Si iussi essemus, vt patres ecclesiæ, vt vera non scripta, vt pontificum responsa scrutaremur, in istis diuersorijs libenter acquiescerem⁹: quando autem nostra scrutandi industria ad scripturas remo-

Origen. in Esai. homil. 2

catur, noli nobis ſuccenſere ſi patribus tantiſper, vt ais, aſſentimur, dum ſcripturis adhæreſcunt. Quod enim in illis laudabile fuiſſe ipſe confiteris, id in nobis non poteſt eſſe vitioſum. Nam & illis Chriſtus, & nobis mandauit, vt ſcripturas ſcrutaremur. Quod ergo iuſsi ſumus vtriq; ſcrutari, id vt inueniatur, vtriſque propoſitum eſſe debet. Æquum ne vero iudicas, vt ſi illi in ſcrutando aberrarunt, eorum nos veſtigijs inſiſtamus, & quod ipſi inuenimus, verum abijciamus, quia illi inuenire non potuerunt? Quando enim illi quod quærunt, verum inueniunt, id nos amplectimur, ijſque in eo aſſentimur. Ne dubita, Campiane: loquimur ex animo: Patribus nos aſſentimur, dum illi ſacris literis aſſentiuntur. Id ne tibi nunc arridet? Sic videtur. *Curabis enim*, inquis, *procedant armatis omni biblico apparatu antiquiſſimi authores, Dionyſius, Cyprianus, Athanaſius, Baſilius, Nazianzenus, Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Latinuſq; Gregorius.* At quid ſi iſti minus tibi dicto audientes fuerint, & mereri in tuis caſtris noluerint? num coges inuitos in acie conſiſtere? non potes: teneri ſe non patientur. hos tu appellas ſuo quemque nomine. Sed illi non reſpondent, nec nomina dant: imò tibi apertum bellum & hi, quos nunc euocas, & vetuſti omnes denunciant. Periculum, ſi voles, paululum faciamus. Dionyſius hic, quiſquis ille fuerit, tuus eſſe, dum priuatam Miſſam defendis

non

non poteſt. Nam publicam totius eccleſiæ communionem, qualē & Chriſtus inſtituit, & vetus eccleſia ſemper tenuit, deſcripſit. Id ipſum Iuſtinus & philoſophus & martyr fecit, quando in Apologia ad Antonium Cæſarem formam eius diſciplinæ, qua Chriſtiani in ſacro conuentu vſi ſunt, expoſuit. Panem & vinum eo tempore totus populus accepit, nunc neutrum. Cyprianus Apoſtolos omnes Petro exæquat, eoſque pari & honore & poteſtate præditos eſſe diſertè affirmat: prohibetque ne quiſquam ad Romanum Epiſcopum prouocet. Quare veſtrum Pontificem oderit eſt neceſſe, qui ſe omnibus epiſcopis dignitate authoritateq; anteponit, atq; omnes vndiq; prouocationes ad ſe alicit. Lactantius non eſſe dubium ſcribit, *Quin religio nulla ſit, vbicunq; ſimulachrum eſt.* Si nunc reuiuiſceret veſtraq; templa tam plena ſimulacris aſpiceret, num quod veræ religionis veſtigium agnoſceret? Athanaſius ſacras & diuinitus inſpiratas ſcripturas ad omnem veritatis inſtitutionem ſufficere affirmat: in quo veſtras illas Traditionum copias multiplices vno dicto fugauit. Epiphanius ſtultas quaſdam mulierculas exagitat, quæ Mariam virginē nouo quodam religionis genere coluerunt, illamq; omnem ſuperſtitionem damnat: τὴν μαρίαν inquit, μηδεὶς προσκυνείτω Quid ille diceret, ſi nunc non fœminas modo vaniſſimas, ſed viros etiam, cunctoſque mortales

Iuſtin. Apol. 2.

Cyprian. De ſimplicit. prælat. Lib. 1. epiſt. 4.

Lactant. lib. 2. cap. 19.

Athanaſ. contra Gentes.

Epiphan. lib. 3. hæreſ. 79.

Basil in Epist. ad Clerit. Neocaesarienſ.

tales ſacra & vota virgini facientes videret? Baſilius author eſt poſitum in more fuiſſe cunctis eccleſijs illo tempore, *vt populus pſalmos in ſacro cœtu recitaret*: at in veſtris eccleſijs populus audire ac intelligere ea non poteſt, quæ leguntur, ineptiſsimis duntaxat geſticulationibus, pompiſque luditur. Nazianzenus de vita hac ciuili non minus honorifice, quam illa Monacorum ſolitaria iudicat; quod veſtri Monachi ferre non poſſunt.

Nazianz. de Her. Philoſoph.

Ambroſius in Rom. cap. 1

Ambroſius in illos acerbiſsimè inuehitur, qui, quemadmodum in aulis principum fieri ſolet, vt ſatellitis alicuius gratia quæratur, antequam poſsis ad regem ipſum introduci, ita ſibi putant eſſe neceſſarium, quando ad Deum accedere volunt, ſuffragatorem prius aliquem adhibere. Nonne hæc vos pungit, hæc cruentat oratio, qui nunquam quicquam in precibus a Deo poſtulatis, quin ante vobis aliquem e diuorum numero patronum concilietis, cui negotij petitionisque veſtræ curam commendetis?

Hieron. epiſtola ad Euagrium.

Hieronymus in veſtrum pontificem, & veſtros illos ſplendidos Epiſcopos nimium contumelioſus fuit, quando presbyterum & epiſcopum iure deuino eundem eſſe ſcribit. Hic tibi fuiſſe dignus videatur, qui presbyter eſſet Romanæ eccleſiæ, cuius vos epiſcopum non modò presbyteris, ſed omnibus etiam epiſcopis tanto ſuperiorem facitis? Gelaſius Pontifex ipſe Romanus cœnam veſtram ſiccam & parte altera diminutam

De conſecrat. diſt. 2. Comperimus.

tam *Sacrilegij damnat; seuereq; præcipit, vt integra vel sumatur, vel omittatur*. Nihil te Pontificis mouet authoritas? Vigilius Christi humanam naturam a nobis abijsse scribit: *Dei filius secundum humanitatem suam recessit à nobis: secundum diuinitatem suam semper est nobiscum*. Vos Christum vtroque modo præsentem facitis. Chrysostomus homines laicos, totumque populum hortatur, vt sibi sacra biblia comparent, scripturas legant, domi vir cum vxore, pater cum filio de sacris literis inter se colloquantur. Ad hoc in vestra ecclesia fieri nec potest, nec licet, & pro certissimo hæretici signo habetur, si quis domi suæ sacros libros habeat. De Augustino quid dicam, qui quantus quantus est, in maximis præcipuisque causis noster est, de gratia, prædestinatione, libro arbitrio, iustificatione, scriptura, lege, euangelio, peccato, bonis opperibus, sacramentis, ecclesia. Infinitus sim, si singula consectar, & voluti duntaxat aliquid de vnoquoq; delibare. Gregorius Magnus, etsi erat ecclesiæ Romanæ Pontifex, tamen contra vos nobiscum stabit. Quid enim? parum ne tuum Pontificē perstringit, quando quisquis se vniuersalem episcopum vocat, eum Antechristi præcursorem procul dubio appellat? De hoc nomine inter Constantinopolitanum, ac Romanum episcopum summis odijs & maxima contentione dimicatum est. Iohannes id sibi primus vendicauit homo arrogans

Vigil. lib. 1 contra Eutych.

Chrysost. ad Coloss. homil. 9. & in Ioan. homil. 2

Gregor. lib. 4 epist. 30 & 34

gans & insolenter ambitiosus : ei Gregorius grauissimè ac constantissimè restitit, quousque vixit. Paulo pòst hic titulus Constantinopolitano episcopo ademptus est, & Pontifici Romano delatus. Mitte ambages, dic Campiane, si fuit illud nomen in episcopo Constantinopolitano Antichristi instantis indicium, quid ni in Romano Pontifice eiusdem Antichristi insigne illustrissimum existimemus? Habes nunc specimen, ex quo potes de cæteris iudicare. Aut alios tibi patres compares oportet, aut his succumbes. Satin nunc tandem planè loquimur? Quid amplius postulas? Quare egredere in hunc campum, atque educ omnem tuam nobilitatem Campiane: rem tibi non cum mendiculis inermibus, sed cum instructissimis armatissimisq; aduersarijs fore senties.

Edmund. Campianus.

Septima ratio. HISTORIA *Generales, Historici.*

PRistinam Ecclesiæ faciem historia prisca retegit. Huc prouoco. Certè antiquiores historici, quos etiam vsurpant aduersarij fere numerantur, Eusebius, Damasus, Hieronym⁹, Ruffin⁹, Orosi⁹, Socrates, Sozomen⁹, Theodoretus, Cassiodorus, Gregorius, Turonensis, Visuardus, Regino, Marianus, Sigebertus, Zonaras, Cedrenus, Nicephorus. Quid narrant? Nostrorum laudes, progressus, vicissitudinem, hostes. Imo vero, quod obseruas diligenter, illi qui dissident à nobis odio capitali, Philippus, Pantaleon, Funccius, Magdeburgici, cum se ad scribendam vel chronologiam Ecclesiæ, vel historiam appulissent, nisi nostrorum historia.

Hæreticorum chronicorum historia.

rum gesta colligerent, ac inimicorum ecclesiæ nostræ fraudes & scelera coaceruarent, mille quingentos annos argumento vacui prætermitterent.

Historici certarũ Gentium.

Cum his considera peculiares certarum historiographos regionum, qui vnius acta cuiusquè populi curiosius operosiusque scrutati sunt. Ii quasi Spartam adepti quam locupletare modis omnibus & perpolire cuperent, qui ne conuiuia quidem lautiora, aut manicatas tunicas aut pugionum capulos, aut inaurata calcaria, talosquè minutias, si nouitatem saparent, tacuere; profecto, si quid in religione mutatum aut a primis degeneratum seculis inaudijssent, frequentes memorassent. si non frequentes, saltem aliqui: si non aliqui, vnus aliquis absque dubio. * *Nullus omnino, neque beneuolus nobis, neque maleuolus, non modo quicquam tale prodidit, sed nec significauit.*

*Falsum: multi de ecclesiæ, corruptelis meminerunt

Verbi gratia. Dant nobis aduersarij, nec aliter possunt, fuisse Romanam ecclesiam aliquando sanctã, catholicam, apostolicam; tum cum hæc a Diuo Paulo promeruisset elogia: Vestra fides annunciatur in vniuerso mundo: Sine intermissione memoriam vestri facio: Scio quoniam veniens ad vos in abundantia benedictionis Christi veniam: Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi. Vestra enim obedientia in omnem locũ diuulgata est. *Tum cum ibi Paulus in libera custodia disseminaret euangelium: Tum, cum in eo quondam* * Babylone collectam ecclesiã *Petrus regeret: Tum, cum ille Clemens apprime laudatus ab Apostolo sederet ad ipsa gubernacula: Tum, cũ profani Cæsares vt Nero, Domitianus, Traianus, Antoninus, Romanos Pontifices laniarent. Tum etiam, vel* Caluino teste, cum Damasus, Syricius, Anastasius, Innocentius, clauum tenerunt Apostolicum. Hoc enim sæculo, nihil adhuc, præsertim Romæ, digressos ab Euangelica doctrina, liberaliter ille concedit.*

Rom. 1. 8.
Rom. 1. 9
Rom. 15. 29
Rom. 16. 17
Rom. 16. 19
Act. 28
1. Pet. 5. 13
Hieron. in ca. scrip. Eccl. & Papias apud Eus. 2. hist. 15.
Phil. 4. 3
Ire. lib. 3. ca. 3
Instit. lib. 4. ca. 2. num. 3. & in epist. ad Sadol.

*Romam: Campianus Babylonem agnoscit

*Falsum: Caluinus id minimè testatur.

Quando igitur hanc fidem tantopere celebratam Roma perdidit? quando esse desijt, quod ante fuit? Quo tempore, quo Pontifice, qua via, qua vi, quibus incrementis, vrbem & orbem religio peruasit aliena?

quas

quas voces, quas turbas, quæ lamenta progenuit? Omnes orbe reliquo sopiti sunt, dum Roma, Roma in quam, noua sacramenta, nouum sacrificium, nouum religionis dogma procideret? Nullus extitit historicus, neque Latinus, neque Græcus, neque remotus, neque citimus, qui rem tantam vel obscurè iaceret in commentarios.

Ergo perspicuum hoc quidem est, si quæ nos credimus, historia multa & varia, nunc a vetustatis, vitæ memoriæ, loquitur ac repetit affluenter: quæ isti obtrudunt, nulla narratio post homines natos in Ecclesia valuisse commeminit: & historicos esse meos, & incursiones aduersarias esse frigidissimas, quæ nihil mouere possint nisi prius receptũ sit, omnes omnium temporum Christianos in spissam perfidiam atque in Gehenna voraginem corruisse, donec Lutherus Sorum constuprasset. *Vide Coel. in anno. 1523.*

Guiliel. Whitakerus.

NVnc ad historiam, temporum testem, & nunciam vetustatis prouocas: quiq; in rerum ecclesiasticarum memoria propaganda elaborarunt, eorum nomina tanquam κωφὰ τρόσωπα in pompa introducis. Verùm hoccine est antiquitatis memoriam repetere, Campiane, & rerum veterum monimenta eruere, posse omnes historicos, qui literis aliquid mandarunt, nominare? Quæ hæc noua est inauditæ dialecticæ insolentia, omnes & generales, & singularum gentium historicos primum numerare, tum illos esse tuos affirmare? An id nuper es diuinitus consequutus, vt quicquid attigeris, sit repentè tuum? Nam veteres annales, in quibus

bus eccleſiarum initia & progreſſus perſcribuntur, iamdudū euoluimus, nec illi magis tui ſunt, quàm noſtri. Si enim aliquid habent, quod nobis aduerſatur, at certè multò & plura & grauiora ſunt contra vos teſtimonia, quæ vobis plagam mortiferam infligunt. Neque nos antiquam omnem eccleſiæ hiſtoriam tam accuratè & diligenter collectam, ſuiſq; temporibus ac ſeculis diſtinctam, & ratione ſingulari perſcriptam fuiſſemus vnquam edituri, ſi tam illa a nobis aliena extitiſſet, quam tu fingis. Qui enim rerum in eccleſia geſtarum memoriam maiore aut ſtudio perueſtigarunt; aut fide reddiderunt. quàm noſtri, qui niſi fuiſſent, multa antiquitatis monimenta in tenebris iacuiſſent? Itaque nos hanc veteris memoriæ lucem nunquam fugiemus, & te ad antiquos hiſtoricos prouocantem ſequemur, ea tamen lege, vt quæ priſcæ eccleſiæ vitia fuiſſe conſtat, ijs minimè conſtringamur. Nam hiſtorici, qui id ſibi proponunt, vt res omnes geſtas perſequantur, non tam docent quid oporteret eſſe factum, quàm quid factum ſit, intuentur, multaque narrant, quæ & meritò poſſunt reprehendi, nec ſunt à nobis imitanda. Id autem plerunq; vſuenit, vt temporum illorum vitijs hiſtorici imbuantur, quorum temporum hiſtorias perſcribunt, & recentiſsimus quiſque ſit deterrimus. At hic tu latebras quæri clamas, & niſi omnia probamus, repudiari à nobis

omnia

omnia criminaris nimiùm hoc quidem perverse. Non enim qui corrigunt ea quæ sunt vitiosa, ij quæ recta sunt reprehendunt. Contende quantum voles Campiane, & circulos omnes ac labyrinthos vociferare, inuitus tandem ad sacras literas obtorto collo pertrahêres.

In eo autem admodum exultas, quando quæris quo tempore, quo pontifice, qua via, quibus incrementis vrbem & orbem religio peruasit aliena: nec dubitas, quin si quid mutatum aut degeneratum fuisset, id frequentes historici memorassent, saltem aliqui, saltem vnus. De tempore non est facile respondere, neq; id necessarium est, vt ipsa temporum momenta prodantur. Non simul omnia sunt in ecclesia Romana euersa, paulatim ad hanc sceleris & nequitiæ senectutem peruentum est. Pili non subitò omnes canescunt, nec quicquam repentè suam habet maturitatem, & rei cuiusque progressio multò pòst apparet. Id in rebus ijs manifestum est, quæ ab exiguis principijs profectæ ad maiorum magnitudinem ac maturitatem contendunt. In ecclesia Hierosolymitana magnam esse factam rerum ac religionis mutationem negare nô potes. Quid? an illa subito extitit? doce ergo quo tempore, quo Pontifice, qua via, quibus incrementis nouitas ecclesiam peruaserit. Græcam ecclesiam Romani damnatis, etsi vestra longè puriorem. Illas mihi nunc circumstantias

ſtantias in hac expone, quas in tua requiris, vt tempus ipſum deſignes, & pontificem, & incrementa quibus eſt tantopere degenera-tum. Quemadmodum in iſtis mutatio poſt-quam eſſe cœpit, fuit manifeſta, quanquam ipſos grados perſequi nunc eſt difficillimum: ita maximam rerum conuerſionem in eccleſia Romana ſentimus eſſe factam, nec tamen quibus quidque temporibus inclinatum ſit, pro certo poſſumus affirmare. De multis conſtat, quæ nunc longum eſſet commemorare, & illa ſunt ſuis momentis, varijsque temporibus diſtincta. Sic enim in eccleſia Romana accidit, quemadmodum in magno edificio videmus euenire. Nam vt domus initiò extructa firmiſsimè, longo tempore per ſe manet integra, at aliquando ſi neglecta fuerit, rimas aliquo in loco incipit agere, qua paulatim tempore augentur, & tectis ipſis ac columnis ſunt perniciosæ, atq; iſto modo tandem ædificij ruina & interitus conſequitur: ita Romana eccleſia temporum ſucceſsione de ſuo priſtino ſtatu deceſsit, atq; indies manante latius tabe quædam ſuperſtitionis & erroris tandem ipſum eccleſiæ ſpiritum amiſit. Euſebius author eſt Polycratem quendam Epheſiorum epiſcopum in ſcriptis reliquiſſe, eccleſiam, dum Apoſtoli viuerent, caſtam & incorruptam virginem fuiſſe. Qui enim caperent ſanctam puræ doctrinæ regulam deprauare, id obſcurè ac timidè feciſſe, nec auſos eſſe, e ſuis

Euſeb. lib. 3. cap. 32.

τῆς ἀθέσε πλάνης τὴν ἀρχὴν ἐλάμβανεν ἡ σύστασις.

lustris erumpere. At postquam Apostoli ad cœlestes sedes migrassent, illaq; ætas hominum, qui Christum ipsum audiuerant, abijsset, tum demum netandum errorem, nullo Apostolorum superstite, cœpisse vires colligere, atq; in ipsis ecclesijs palam volitare. Num quod illustrius antiquitatis & historiæ testimonium desideras? Viuis Apostolis virgo fuit ecclesia: illis vita defunctis, statim corrumpi cœpit: neque verò dubium esse potest hanc pestem tempore creuisse, & latissimè peruasisse. Id tamen miror hunc Polycratem, tam fuisse vel imperitum, vel obliuiosum, vt Romanum Pontificem non attenderit loco Apostolorum datum esse ecclesiæ, qui hanc virginem defenderet, castamq; conseruaret. Cur enim virginem vocat? quia Apostoli supererant, qui homines audaces terrere atq; abigere potuerunt. At vel hanc ob causam ecclesia nunc pontificé desiderat, vel Pontifice nihil opus habet. Tamen Polycrates, quasi iam nullus reliquus esset, qui huius virginis pudicitiã tueri posset, ecclesiæ orbitatem deplorat: quod quidẽ fecisset inconsideratè, si hãc curam ad Pontificem Romanum pertinere existimasset. Ex illo ergo tempore, quo Apostoli in terris esse desierunt, ecclesia semper declinauit, atq; ad illam ἀποστασίαν spectauit, quam futuram præmonuit Apostolus, nos præsentem aspicimus. Tum enim illi lupi, quorum Apostolus meminit, in ecclesiam inua-

Act. 20. 12

tnures

ſerunt,& gregem deuorare non deſtiterunt: tum illi Antichriſti, quales iam tum fuiſſe nonnullos Ioannes affirmat,opus illud moliri cæperunt, quod deinceps perfectum atq; expletum fuit. Potui tibi huius ἀποστασιας clariſsima indicia in tua eccleſia ex tuis illis annalibus commonſtrare. Neque enim aut obſcura ſunt, aut eiuſmodi, vt non ea quiuis videre poſsit, qui modò aſpicere atq; attendere velit. Et quando ad hiſtoriam prouocas,volo tibi aliquid ex vetere hiſtoria commemorare,quod tu num tuum pontificē attingat cōſiderabis, vt mihi de re tota certiùs reſpondeas. Habitum eſt concilium in Africa Epiſcoporum 217.quorum vnus fuit Auguſtinus ipſe,decus & lumen Africæ.Rem in pauca conferam. Huc ſuos legatos Zozimus Pontifex Romanus miſit, qui patribus Africanis probarent licere ad Romanum pontificem ab omnibus epiſcopis vbiq; terrarum prouocari. Legati rem ad patres referunt, vnaq; Niceni Concilij canonem proferunt, in quo illud priuilegium erat ſcriptum. Patres nouum decretum mirantur, & Legatis reſpondent,ſe nullum eiuſmodi canonem in aliquo vel latino vel græco exemplari vidiſſe, atq; exiſtimare illius concilij verum atq; integrum exemplar apud ipſos eſſe, quod Cæcilianus Epiſcopus Carthaginenſis, qui Niceno concilio interfuit,ſecum in Africam attuliſſet. Tamen ſtatuunt certos homines Conſtātinopolin, Alexādriam, Antiochiam

1. Ioan. 2.18

Concil Car. 6.ca.3.4.7.9.

mittere, qui vera atque germana exemplaria ab illarum vrbium Episcopis accipiant. Id vt impediant Legati Pontificis laborant, sed frustrà. Cyrillus Alexandrinus, & Atticus Constantinopolitanus Episcopus exemplaria Legatis tradunt, & literas ad Patres Africanos, in quibus illa exemplaria verissima ac fidelissima esse confirmant. Tum demum fraus perspecta est: in Canone concilij Niceni nihil tale reperitur. Quare ad Celestinũ scribunt, qui tunc Pontifex erat, eumque inbét quiescere, nec quicquam eiusmodi posthac tentare, suósue *Exactores* emittere, ne *fumosum seculi typhum* in Christi ecclesiam inducere videantur. Cessit ad tempus Pontifex necessitate, non voluntate. Nam centum pòst annis Bonifacius secundus in epistola ad Eulalium grauiter inuehitur in Aurelium Carthaginensem Episcopum, qui nunc huic præfuit Concilio Africano, eumque ait cum suis collegis, quorum facilè princeps fuit Augustinus, à Diabolo fuisse impulsum, vt Romanam ecclesiam impugnaret. Sic de Aurelio Carthaginensi cæterisq; illis Africanis episcopis, atq; ipso inter alios Augustino, qui Romano Pontifici in illa causa restiterunt, Bonifacius Papa tanquã de schismaticis iudicauit: Eulalio autem, qui tum fuit Episcopus Carthaginensis, gratulatur, quòd in gratiam cum Romana ecclesia redîre, id est, licentiam Romano pótifici in ecclesias Africanas permittere voluerit. Hæc à me sunt ex verissimis

Conc. Afri. c. 105

ἐκβιβαστὰς καπνώδη-τύφου.

mis monimentis repetita: atq; eiusmodi alia potui permulta commemorare, ne tibi nimium de tua historia promittas.

Ex his nunc perspici potest, quid Romani pōtifices multis annis egerint ac laborarint, vt se nempe omnium ecclesiarum dominos efficerent, quod quidem illi tandem assequuti sunt. Quandoquidem autem quæris, & vis tibi respōderi, quando hanc fidem tanto pere laudatam Roma perdiderit, esseq; desierit, quod antè fuit, etsi fidem multis in rebus antè perdiderat, tamē verè possum affirmare tū Antichristi sedē palam esse cœpisse, quando Bonifacio tertio à Phoca parricida datum est, vt ecclesia Romana caput esset omnium ecclesiarum, pontifexq; Romanus episcopus vniuersalis diceretur. Nolim ego temporum momenta nimiùm excutere: obscurè serpit malum, nec statim in hominum sensus incurrit: verùm id fuit de istis temporibus, de quibus nunc loquor, hominum iudicium, Gregorium magnum Episcoporum ecclesiæ Romanæ bonorum fuisse vltimum, malorum primum. Nec enim aut ille nimiū bonus, aut post illū aliquis bonus fuit: & quisq; posterior penè superiorem nequitia superauit. Et iam colluuies malorum omnium erupit in ecclesiam, cunctasque eius partes latissimè peruasit. Cogis me Campiane ecclesiæ tuæ vlcera aperire, quæ ego malui non attingere? sed ita importunus es vt nec nobis, nec tibi ipsi parcas. Bernardus, quem ecclesia vestra

multis annis vnum tulit pium virum, quoties & quàm amarè ſtatum perditiſsimum eccleſiæ deplorauit? *Serpit hodiè putida tabes per omne corpus eccleſia. Serui Chriſti ſeruiunt Antichriſto. A planta pedis vſque ad verticem non eſt ſanitas vlla.* Iſtis alijſque eiuſmodi vocibus ſolitus eſt Bernardus de eccleſiæ veſtræ nequitia intoleranda conqueri: quod ille non feciſſet, niſi cauſam, cur faceret, maximam vidiſſet. Æneas Syluius, qui poſtea factus eſt Papa, *refriguiſſe charitatem, & fidem omnem interijſſe ſcribit*, & qualem fuiſſe illo tempore eccleſiam veſtram exiſtimemus, quæ fidem ſimul & charitatem amiſerit? Verùm hunc forſan iſta ſcripſiſſe odio eccleſiæ dices, poſt ſententiam mutaſſe, quando ex Ænea factus eſt Pius. Ita enim ſemper illud ſuum vſurpauit, *Reijcite Æneã, ſuſcipite Pium.* Quid hîc poëtas & doctos, & illuſtres commemorem Petrarcham, Mantuanum, alios qui nec Papam, nec Cardinales, nec clerum vniuerſum verſibus dentatis veriti ſunt inſectari? Ita enim omnia diffluxerant, vt peccata quæuis & perpetrari & reprehendi liberè poſſent. Ne abeam longius, recordare quid Cornelius Epiſcopus Bitontinus non ita multis abhinc annis in Concilio Tridentino, tota aſtante atq; audiente eccleſia dixerit; cuius profectò teſtimonium etſi per ſe leue eſt, tamen contra vos grauiſsimum videri debet. *Vtinam*, inquit, *a religione ad ſuperſtitionem, à fide ad infidelitatem, à Chriſto ad Anti-*

Bernard. in Cantic. ſerm. 33

De conuer. Paul.

Æneas Syluius ad Cæſarem Sebik.

Cornel. Bitontin. in concil. Triden.

Antichriſtum, à Deo ad Epicurum, velut prorſus vnanimes non declinaſſent. Hæc ſunt eccleſiæ veſtræ inſignia, ſuperſtitio, infidelitas, Antichriſtus, Epicurus. Et tamen tu audes dicere nullũ omnino neq; beneuolum vobis neque maleuolum quicquam tale vel prodidiſſe vel ſignificaſſe. Quanto magis eccleſiæ tuæ defendis innocentiam Campiane, tantò magis illius nequitiam videri facis manifeſtam.

Dant inquis *aduerſarij fuiſſe Romanam eccleſiam aliquando ſanctam.* Id verò damus, & tum fuiſſe ſanctam, quando Paulus eius præclaras illas laudes prædicauit, quarum tu meminiſti. Quanquam iſta, quæ recitas elogia non ad illam vnicam pertinent eccleſiam, ſed alijs etiam data ſunt. Quid ſi enim Romanorum *fides annunciata eſt in toto mundo?* Nihil in eo proprium habuit & ſingulare eccleſia Romana. Nonne ſimiliter Apoſtolus de Theſſalonicenſium eccleſia ſcripſit: *In omni loco fides veſtra, quæ eſt in deum, dimanauit?* Quid ſi Romanorum *ſine intermiſſione memoriam fecerit?* Ita etiam Theſſalonicenſium *meminit indeſinenter.* Quid ſi non dubitauit quin ad Romanos veniret *in abundantia benedictionis Chriſti?* an illius minùs fuiſſe ad alias eccleſias frugiferum aduentum exiſtimas? Quid ſi Romanos omnes eccleſiæ *ſalutarint, eiuſque obedientia in omnem locum diuulgata fuerit?* an neſcis ſanctos omnes ſe mutuò ſaluraſſe? aut alias eccleſias minùs, quàm hanc fuiſſe Apoſtolo obſequentem arbitraris? Sed hoc tem-

Rom. 7. 8.
1. Theſſ. 1. 8.
Rom. 1. 9.
1. Theſſ. 1. 3.
Rom 15. 29.
Rom. 10. 16. 19.

pore damus fuisse sanctam: quid amplius
Act 28. postulas? *Tum etiam cum ibi Paulus in libera custodia disseminaret Euangelium.* Et hoc etiam
1. Pet 5,13. damus. Num quid aliud vis? *Et tum, cum in ea quondam Babylone collectam ecclesiam Petrus regeret.* Nec id negamus. Etsi autem facilè patior Romam à te vocari Babylonem, quam
Apocal. 17.5. illam esse non dubito, de qua in Apocalypsi tam multa Iohannes, matrem scortationum atq; abhominationum terræ, tamen hic à Petro Romam significari non tam facilè adducor vt dare velim. Semper enim hic hæretis Campiane, nec dum vnquam euincere potuistis, Romæ fuisse Petrum. Pro concesso ac probato sumitis, quod si quis vobis vel verbo negat, vt Mathematici progredi amplius non potestis. Quid ni autē illā ipsam Babylonem declarari existimem nunc à Petro, quæ olim Assyrij imperij caput fuit, in qua multos fuisse Iudæos, dubiū non est, quorum Petrus proprie & peculiariter Apostolus erat?
Galat. 2. 9. Si dicam, quæ à me in hac causa dici potuerunt, vereor ne tu vehemētius offendam. Interim quod ipse Romā esse Babylonem confiteris, accipio: quæ causa fuerit mutati nominis, alias si placet expones. Iam nobis non potes irasci, si Petri exemplo fresi Romam deinceps dicimus Babylonem.

Nunc, credo, consistes aliquando. Imò verò pergis, & ad ætates succedentes progrederis. *Tum, cum Clemens sederet ad gubernacula: tum cum profani Cæsares Romanos Pontifi-*

ces

tes laniarent. Et tum quoq; fuisse Christi præstantem ecclesiã fateor. An eo cõtentus eris? Imò, inquis, *tum etiam cum Damasus, Syricius, Anastasius, Innocentius clauũ tenerent Apostolicum.* Desilire hoc quidem est, non descendere nimiũ enim celeriter ab illis ad istos properas. Sed quomodo vt hoc tibi demus, persuades? *Nam Caluinus*, inquis, *nihil adhuc digressus ab Euangelica doctrina liberaliter concedit.* At noli tibi arripere, Campiane, quod nemo dat, nec nimium tibi de alterius liberalitate polliceri. Neq; enim id Caluinus concedit, quod tu sumis: itaq; reddas oportet. Ad vestrum illud de successione tritum argumentum hoc in loco Caluinus respondet, docetq; non ideo sibi sanctos patres proposuisse, quando episcoporum successiones commemorant, vt eas esse veras ecclesias statuant, vbicunq; episcopi alij alijs substituuntur: sed illud primũ sumpsisse pro certissimo, nihil fuisse a principio vsq; ad illam ætatem mutatum in doctrina, atq; ita nouis erroribus doctrinã ab ipsis Apostolis perpetuò conseruatam oppositisse. Non id ergo ait, nihil in vlla omnino parte fidei mutatũ fuisse, sed patres isto successionis argumento nunquam esse vsos, nisi in ijs dũtaxat causis, in quibus nihil inuersum fuisse constabat. Nã quod ad horũ Pontificum ætatem attinet, etsi Romanã ecclesiam tum fuisse Christi verã ecclesiam concedimus, tamẽ illos nihil ab Euãgelica doctrina digressos esse nec tibi Caluinus concesit vnquam,

Instit. lib. 4. ca. 2. num. 3. & in epist. ad Sadoletũ

& nos magnopere reclamamus. Mittã alios: Syricius iste palam à doctrina Euangelica in eo deflexit, quòd verbi ministros perpetuo cœlibatus laqueo astrinxit: neq; ista leuis digressio fuit, sed sine dubio manifesta ab Apostolica doctrina aberratio. Hîc nunc desistis, ne reliqua ecclesiæ tẽpora persequeris: tantum quæris, *quando Roma desijt esse, quod ante fuerat*, de quo tibi satis iam multa respõdimus. Tu verò si dubitas, an desierit, potes etiam, si vis, dubitare an sol meridiè splendeat. id enim nihilo profectò magis dubium est, quam an vrbs hęc Romana ab illa olim florẽtissima repub. Romana degenerarit. Atque vt ille non potuit Samnium in Samnio inuenire, & is de quo scitè scriptum est in epigrãmate, *In Roma Romæ nil reperit media*: ita, vt Romanam ecclesiã quęras in ecclesia Romana, nunquam tamen inuenias. Non enim vitam tantùm, sed colorẽ etiam vultumq; veræ ecclesiæ amisit. Quando ergò te cum cætera omnia deficiunt, tum ipsa quoq; historia, cui plurimum visus es cõfidere, nihil subleuat, quid superest, quàm vt alterũ facias, vel cedas ante prælium, vel in prælio pereas? Atq; vtinam id discas aliquando quod scribit Nazianzenus, σπερσὺ λόγῳ νικᾶν, ὥστω καὶ νικᾶσθαι καλῶς μεμαθήκαμεν.

3. Tim. 4. 3. Heb. 13. 4.

Nazianz. contra Iulian.

Edm. Campianus.

EGo verò, præstantissimi viri, cum de multis hæresibus, quædam apud me opiniosissimorum portenta,

Octaua ratio, PARADOXA.

tenta re puto, quæ mihi veniunt ex pugnanda: incipsum inertiæ vecordiæque condemnem, si cuiusquam in experiendo facultatem aut vires extimescerem. Sit ingeniosus, sit eloquens, sit exercitatus, sit omnium librorum bellua, citrium aridus & bulbus appareat necesse est, cum hæc tam adynata sustentabit. Disputabitur enim, si forte nobis eruniens, de Deo, de Christo, de Homine, de Peccato, de Iustitia, de Sacramentis, de Morbis. Videro an alios elaborare quæ sentiunt, quæque verbis addicti necessariis demulgunt in scripturam. Faxo, norint ista suorum auctorum.

De DEO. Calv. Inst. lib. 1 cap. 18. Li. 2. c. 4 Li. 3. c. 23. & 24 Pet. Mar. in 1. Sam. 2 Melanct. ann. in cap. Rom. 8 P. Vitem. 1. 24 Sic docet Laub. in asser. 36. & in resp. ass. 36 & in Lab. de ser. arbit. Pref. in anno Philippi. In Apol. Eccl. Aug. Vide euch. gra. ann. 1543 De Christo. Inst. Li. 1. c. 13 nu. 23. 4 Bez. in Hesb. Beza contra Selon. de Lib. de unit. hypost. duæ in Christ nat. Cal. in Io. 10 Cont. Latom Buce. in Lu. 2 Cal. in harm. Lut. Ioss. Hem. Mela. in Euan. do. 1. post. Epi

* Deus est auctor & causa peccati, volens, suggerens, efficiens, jubens, operans, & in hoc impiorum sceleratæ consilia gubernans. Proprium Dei opus fuit, vt vocatio Pauli fuit * adulterium Davidis, Iudaicæ proditoris impietas. ' Monstrum hoc, cuius Philippus aliquando pudebat, Lutherus tamen à quo Philippus hauserat, quasi oraculum cœleste miris extollit laudibus, & alumnum suum eo nomine tantum non exequat Apostolo Paulo. Perconiabor etiam quid animi Lutherus fuerit, quem Angli Calvinismi virum diuinitus datum ad orbem illuminandum prædicant, cui hunc versum demeret supplicationibus ecclesiæ, Sancta Trinitas, vnus Deus, miserere nobis.

Falsissimum: nostrum nullus Deum peccati authorem & causam esse affirmauit

Falsum: nos ista minime comparamus.

Mox ad personam Christi progrediar. Quærã ista sibi quid velint. * Christus Dei filius, Deus de Deo Calvino, ' Deus ex Deo Beza, non est genitus de Patris essentia. Item. Duæ constituantur in Christo vniones hypostaticæ, altera Animæ cum carne, Diuinitatis cũ Humanitate, altera. Locus apud Iohannẽ, Ego & pater vnum sumus, Non ostendit Christum Deum homoousion Deo patri, Sed & anima mea, *inquit Lutherus, odit hoc verbũ homoousion.

Christus est filius ex patre, Deus ex se.

' Pergite. ' Christus ab infantia non fuit gratia consummatus, sed animi donibus velut cæteri homines adoleuit, vsu factus quotidie sapientior, ita vt puerilis ignorantia laborarit. ' Quid perinde est ac si diceremus * originis labe, & vitio sordidatum. Sed cognoscite diriora. ' Christus cum orans in horto, sudoribus aquæ manaret & sanguinis, sensu damnationis æternæ coborruit, vocem edidit sine ratione, sine

Falsum, lege responsum.

Falsum: non enim omnis ignorantia nata est ex labe originis,

sine spiritu, verum doloris impotis repugnantem, quam, ut non sane meditatam, celeriter cassignauit. Marlorat in Matt. 26.

[a] Falsum: id nec Brentius, nec quisquam nostrûm dixit.

aliquid amplius? Attendite. Christus cum alias in cruce vociferaretur, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me, Arcessitus est clamosis inferni, & desperationis vocibus enixis, non aliter affabilis quàm si peroranda riserit eternitatis sempiterna. Vbi enim si quid possint, audiant, Christus, inquam, descendit ad inferos, id est, Horrenda Gehennæ gaudia, nihilominus, quàm Abyssi damnatorum, nisi quòd sibi soli mundus erat. Quandoquidem enim morte corporea nobis profusissent, diuinitas quoque latuerat cum morte Dei in æterna, atque horrenda nox, Stygium sepulcri supplicium quæ dependens, ubi me quis songa sui pœnæ eisdem Calumbo per diuinitatis obscurissimam Calumnus omnes vt, si quis doctrinam istam & solatij plenam exagitastis, perditos appellas nebulones. Tempora temporis cunctipotentis vestrum dilusit & Cruce ille deliciarum & orgiorum qui de bonorum Magni corpore laceratis fissoque fructu, cum tenebris mea quam in patriam, propter dignitatem Nostram, mille mundos redituros promisse, nihil humanæ potens professis, nisi medistor Dei & hominum homo Christus Iesus mortem quoque secundi mortem animæ, mortem gratiæ, peccati salus & exitibilis blasphemiæ & fœtam peruulgasset? Prædas insanis vndosius vindicatus. Bucerus, quemquam est impudens, qui inde enim in symbolo, sepulchrum, auersum per egressum valde, prospexerim, ac pacis absolutionis impietas atque fœdum, Anglicani sectarij, pro Calumnia, Idolo suo pars Buceri, magno magistro solenni accederet: pars etiam subministrauit in hunc articulum, ne quid secessit vitio malitiæ, quemadmodum finis tumultu penitus existimatur de Symbolo. Ill verò etiam fuisse [a] tentatum in conuenticulo quodam Londinensi, verum vereor mihi qui interfuit Richardus Christianus, ferunt, malè malchatum à beneuolentiæ, nequam tamen ingressum in paternum domum. Hæc Homo de Christo.

Bucer. in Matt. 26.

[a] Falsissimum: id nunquam in nostra ecclesia fuit tentatum.

De Homine quid? Imago Dei penitus in homine delata est, nulla boni scintilla superstite vera naturæ

De homine. Illyri in va-

quod

rijs lib. de ori. pecc.
Cal. Inst. lib. 2. cap. 3
Sarcer. de cons. vt. Eccl.
Aepin. de imb. et pecc. Sanct. Kem. contra Cens. Col.

De peccato.

Illyri. in vari. li. de pec. orig. Vide. Heshus. in ep. ad illyr. An peccatum sit substantia. Cal. in Anti Con. Triden. Idem docuerat. VViclef. apud VVald. lib. 2 de Sacra. cap 154.

De Gratia.

Luth. in resp. contra Louan. Buce. in Ioa. 1. VVell. in nata. Christi, Brent. ho. 12. in Ioan.
Cent. lib. 1. ca. 4.

De Iustitia.

quoad omnes Animæ partes ita funditus euersa, vt ne renatus quidem & sanctus quicquã sit aliud intrinsecus, nisi mera corruptio atq; contagio. " Quorsum ista? Vt qui sola fide gloriam rapturi sunt, in omnium turpitudinum cœno volutati, naturam accusent, virtutem desperent, præcepta deonerent.

Huc Illyricus, Magdeburgensium primipilus, illud, suum adiecit immane placitum de originis peccato, quod esse vult, Intimam substantiam Animarum: quippe quas, post Adami lapsum, diabolus ipse proceret, & in sese transformet. Hoc quoq; tritum est in hac fece, * omnia peccata esse pariat: sed ita (ne Stoici reuuiscant) si Deo iudice ponderentur. Ac si Deus, æquissimus iudex, oneri nostro cumulum potius quam leuamentum faceret, & id quod non est in re, quum sit ipse iustissimus, exaggeraret. Hac trutina, non leuius in Deum seuerissime iudicantem deliquerit ille caupo qui gallum gallinaceum, quando non est opus, occiderit, quam infamis ille sicarius, qui plenus Bezû, Gallum Heroa Guisium, admirabili virtute principẽ, displosa fistula clãculis interemit, quo facinore nihil vidit orbis noster ætate nostra funestiꝰ, nihil luctuosius.

Sed fortasse, qui tã sunt in peccati conditione tetrici, magnifice philosophantur de diuina gratia, quæ huic malo succurrere ac mederi possit. Præclaras verò isti partes assignant gratiæ, quam neq; infusam cordibus nostris, neq; ad resistendum scelerib⁹ validã esse latrant, sed extra nos in solo Dei fauore collocãt qui fauor non * emendet impios, nec purget, nec illuminet, nec ditet, sed veterem illam sentinam adhuc manentem atq; fœtentem, ne deformis & odiosa putetur, Deo continuente, dissimulet. Quo suo plasmate tantopere delectantur, vt ne * Christus quidẽ aliter apud illos gratia plenus et veritate dicatur, q̃ quòd ei Deus Pater mirandum in modum fauerit.

Quæ res ergo iustitia est? " Relatio. Non enim ex theologicis concinnata virtutibus fide, spe, charitate, quæ Animam suo nitore conuestiant, sed tãtum occultatio delicti, quam qui sola fide prehenderit, ille tam de salute certus est, ac si iampridem interminato cæli gaudio frueretur.

*Falsissimum. nostri semper ab hoc dogmate abhorruerunt.

Falsum: gratia Dei iustificationem gignit. iustificationem sanctificatio semper & necessario sequitur.

* Falsum: Christum omni modo plenum gratia confitemur.

Age

Age somnies hoc; sed vnde constare poterit de futura perseuerantia, qua qui caruit, exiuit infelicissimus, litet ad tempus pure pieq; iustitiam coluisset! Imo verò hac tua fide, Caluinus ait, missi tuâ tibi perseuerantiam firmè pranuncies, vt allucinari nequeas, tanquam inanis & languida spem reuerus. Act. 11. Luc. 11. Inst. li. 3. c. 2. lib. de capiuit. Babyl.

Loquitur Lutherus de gratia Baptismatis, quæ peccato ne amittat.

*Agnosce discipulum Lutheri. Christianus, inquit ille, etiam volens, non potest * salutem perdere, nisi nolit credere.*

*Ad sacramenta festino. Nullum, nullum, non duo non vnum, à sancto Christe, reliquerunt. Ipsorum quippe panis, venenū est. Baptismus, etsi adhuc verè est, tamen ipsorum iudicio nihil est, non est vnda salutis, non est cœlitis gratia, nō derivat in nos Christi merita, sed significatio * duntaxat salutis est. Itaq; nihilo pluris Baptismum Christi quoad naturam rei, quam Ioannis fecere carimoniam. Si habeas, rectè:* * *si careas, nihil damni: crede, salvus es antequā abluare. Quid ergo parvuli, qui nisi inuentur virtute Sacramenti, suæ fide miselli nihil assequuntur? Potius quam sacramento Baptismatis quicquā tribuemus, inquiunt Magdeburgici, demus inesse fidem ipsis infantulis, quæ feruentur, cuius fidei pulsus quosdam abditos intelligant ipsi, qui viuunt nemo nouit, nemo intelligit. Durum. Si hoc adeo durum est, Lutheri pharmacum auditote. * Præstat inquit omittere, quandoquidem nisi credas infans nequicquam lauatur. Hæc illi quidem anxipites animo, quidnam enunciem categoricè. Ergo Balthasar Pacimontanus, diribitor interminatus qui parens Anabaptistarum, cum parvulis nouum fidei non posset affingere, Lutheri cautiunculam approbauit, & paleo baptismum ejiciens e templis, neminem nisi adultum fonte sacro decreuit abluere. Alia reliqua Sacramenta quod attinet, quamuis illa * bestia multiceps horrendas eiecter contumelias, tamen quia quotidiana iam sunt, & callum auribus obduxerunt, hic prætereo.* De Sacramentis. Caluin Instit. lib. 4. cap. 15 Cent. 1. lib. 2 cap. 10 Lutb. lib. de cap. Babyl Cent. 2. & 5 cap. 4 Luth. aduersus Cochl. Item epist. ad Melanct. 10. 2 & in epist. ad Vval. Anabaptistas.

Falsum non enim duntaxat signum esse dicimus.

Falsum non fiolo quimur de Baptismo.

Hoc Lutherus ait ex eorum hypothesi, qui fide omni carere pueros affirmant.

Pontifex Romanus.

Restant hæreticorum de vita & moribus frustra nouissima, quæ Lutherus euomuit in chartas, vt ex vnius pectoris impuro gurgustio pestem lectoribus inhalaret. Abite patienter, & erubescite, & mihi dare

De Moribus.

Ser. de Matri. Li. de vo. con. et affe. art. 16 Li. de vo. Eua. Li. de vo. mo. Chare. lib. in Cenſorem ſuum. Lat. ſermo. de piſ. Pet. Aſſert. 12. Li. de ſer. arbi. Ser. de Moyſe lib. de cap. Ba.

date veniam recitauit.* Si nolit uxor, aut non poſſit, veniat ancilla. Siquidem res uxoria tam eſt cuiq; neceſſaria, quàm eſca, potus, ſomnus. Matrimonium eſt virginitate multo præſtantius. Eam Chriſtus, eam Paulus diſtulerunt hominibus Chriſtianis." Sed hæc fortaſſe propria Lutheri ſunt. Non ſunt. Etiam nuper a meo Charco, ſed miſerè timideq; defenduntur. Vultis ne plura? quid ni? " quanto ſceleratior es, inquit, tanto vicinior gratiæ. Omnes actiones bonæ peccata ſunt, Deo iudice, mortifera: Deo propitio, ſeriuſcula. Nemo malum ſuapte voluntate cogitat. Decalogus nihil ad Chriſtianos. Opera noſtra Deus nequaquam curat. Soli rectè participant cœna dominica, qui triſtes, afflictas, perturbatas, confuſas, erraticas, apportant conſcientias. Confitenda crimina ſunt, ſed cuilibet quiſi te vel *ioco abſoluerit, modo credideris, abſolutus es. Legere preces horarias non eſt ſacerdotum, ſed Laicorum. Chriſtiani liberi ſunt à ſtatutis hominum. Satis ſuperq; lacunam iſtam commbſſe videor. Iam finio. Nec verò putetis iniquiorē eſſe me, qui Lutheranos & Zuingliuanos promiſcuè coarguerim. Nam iſti memores à quo proſeminati ſint, inter ſe fratres & amici volunt eſſe, adeóq; grauem interpretantur iniuriam, cum in vlla re præter vnam, diſcriminantur.

Apolo. Eccle. Angl.

Equidem non ſum tanti, vt vel mediocrem locum mihi ſumam in ſelectis theologis, qui hodie bellum hæreſibus indixere: ſed hoc ſcio, quantuluſcunq; ſim, periclitari me non poſſe, dum Chriſti gratia fultus, aduerſum talia commenta, tam inuiſa, tam inſulſa tam bruta, cœlo terraq; iuuantibus, præliabor.

*Inſignis calumnia, quales reliquæ ſunt, quæ ſequuntur: lege reſponſum.

*Falſum: hæc Lutherus non de quolibet, ſed de miniſtro loquitur.

Guiliel. Whitakerus.

NOlle ſe dixit Hieronymus in ſuſpicione Hęreſeos quenq; eſſe patientē. Quo magis iniquo animo fero Campiane, iſta nobis a te nunc obijci, quæ vocas Paradoxa, tam falſa, tam multa, tam horrenda. Et quidem cum

cum alios ſemper omnes importunitate atq; audacia Papiſtas, tũ iſto in loco teipſum planè ſuperaſti. Niſi enim omnem & Dei religionẽ, & erga homines reuerẽtiam penitus abieciſſes, tuæq; conſcientiæ naufragium iamdudum feciſſes, atque ipſam penè humanitatem exuiſſes, nunquam in te tantum ſceleris admiſiſſes, vt hæc nobis opinionum monſtra exprobrares. Sed quid agas video: fore enim ſperas vt *audaciter calumniando*, quẽadmodũ ille tui ſimillimus dicere ſolitus eſt, *ſemper aliquid hæreat*. Poſtquam enim vera crimina deficiunt quibus eccleſias noſtras oppugnetis, reliquum eſt, vt vel a ſcribendo deſiſtatis, quod erat honeſtiſsimum, vel aliquas ſaltem calumnias excogitetis, quas tanquam tela venenata in nos iaciatis, quod & per ſe turpiſsimũ eſt, & certum veſtrę deſperationis argumentum. Iam verò ſi hæc tua παράδοξα atq; ἀδύνατα ſic diluero, vt omnes perſpiciant ea fuiſſe nobis a te falſiſsimè atq; impudentiſsimè aſcripta, peto non ab Academicis tantum noſtris, ſed chriſtianis etiam vniuerſis, quib⁹ vera religio, ſuaq; ſalus curæ eſt, vt nullis aduerſarij mẽdacijs atq; impoſturis ab ea ſancta doctrina, quã didicerunt, abduci ſe patiantur. Quare aggrediar hæc tua portenta, Campiane, vt poſtq̃ illud tibi os plenũ blaſphemiæ obſtruxero, & Dei gloria, quæ agitur, & innocẽtia noſtra quę oppugnatur, a tua immanitate vindicetur. *Diſputabitur, inquis ſi, tantum, de Deo, de Chriſto, de homine, de pecca-*

cato, de iuſtitia, de Sacramentis, de moribus. Nos verò nō de iſtis modò tecum, verùm alijs etiam cauſis, quæ nunc in deceptatione verſantur, parati ſumus diſputare: De ſcriptura, de eccleſia, de Romano pontifice, de Tranſſubſtantiatione, de Libero arbitrio, de Indulgētijs, de Purgatorio, de cæteris tuis. Verum aut multi falluntur, aut tu pugnam magis quàm diſputationem meditaris. Spero autem, quā toties expetis diſputationem, eius tibi aliquando datam fore poteſtatem. Iam quemadmodum *tu faxis*, vt nos hæc noſtrorum axiomata norimus, attendamus.

De deo

Deus, inquis, *eſt author & cauſa peccati, volens, ſuggerens, efficiens, iubens, operans, & in hos impiorū ſcelerata conſilia gubernans.* Tetrum eſt quod dicis & infandum, Campiane, Deum vt quiſquam peccati authorem faciat: dignus ſit, quem Dominus ſtatim fulmine ad imum inferorum barathrum deijciat. Id ſi Caluinus, aut Martyr, aut Phillippus, aut Lutherus, aut quiſquam noſtrûm affirmet, non repugno quin omnes ſimus horrendæ blaſphemiæ ſceleriſq; rei. Si velim omnem iſtam cauſam, quam attingis, fuſè perſequi, nullum finem faciam: itaque paucis quid & nos doceamus, & tu mentiaris exponam. Deum non tantum bonum, ſed ipſam eſſe bonitatem profitemur, per ſe, ſuamque eſſentiam bonū: in quo mali nihil inſit, â quo nihil niſi bonū proficiſci poſsit: qui ſic bonus ſit, vt eius facta omnia ſint valde bona, nec vel cogitata vlla poſſint eſſe mala. Hæc dicim⁹, hæc docemus, hæc

Gen. 1. 31

corde credimus & voce teſtamur. Cum ergo Deus ita ſit perfectè bonus, vt eius omnia excellenti quodam modo bona ſint, quæſitum olim eſt & grauiſsimè diſputatum, vnde illud malum natum ſit, quod tam latè manauerat, & quænam huius mali cauſa extiterit. Hanc quæſtionem ſæpe tractauit Anguſtinus propter Manichæos, & in ea etiam Thomas Aquinas multùm ac diligẽnter verſatus eſt. Hoc malũ nòs a diabolo inuectũ eſſe dicimus, qui etſi erat bonus a Domino factus initio, tamen libera voluntate à Domino defecit, & peccauit, & homini, vt peccaret, perſuaſit, authorq; fuit. Hinc quicquid eſt peccati vel in dæmonibus, vel in hominibus, totũ fluxit, eiuſq; à Deo nulla perticula extitit, quem nos nullius peccati cauſam eſſe infinitis ſcripturæ teſtimonijs euincimus, atq; in ſcholis ẽnibus eccleſijſq; noſtris proponimus. Peccatũ enim odit, iuſtitiã diligit: qui iudex eſt totius terræ, eum eſſe omni modo iuſtiſsimum oportet: Deus lux eſt, & nõ ſunt in eo tenebræ, atq; huiuſmodi ſunt, quæ populum de deo docemus, vt illum omnium peccatorum ſeueriſsimum fore vindicẽ intelligant. Iam ergo qua fonte auſus es Campiane, quum hæc noſtra eſſe ſcires, nobis tam infandum conuicium facere, vt planè contraria dicere & ſentire affirmares? at Caluinus, inquis, & Martyr hoc ipſum docuerunt. imò toti in eo ſunt, vt id fieri nullo modo poſſe confirment. Longum ſit verba deſcribere: Lectorem obteſtor vt hæc ipſa loca, quibus ad calumniam abuſus eſt Campianus,

In 12 quæſt. 79. ar. 1. & 2.

Pſal. 44. Zach. 8. 17 Gen. 18. 25. 1. Ioan. 1. 5.

anus,attento & ſedato animo perlegat. Niſi & negent, illi apertiſſimè Deum eſse peccati authorem ac cauſam,& quod negant, veriſſimè ſe negare probent,ſupplicium nullum recuſem. Attamen aliquid eſt procul dubiò, quod illi dicunt, quodq; ijs Campianus tribuit. Id cuiuſmodi ſit conſideremus.

Inueterauerat quædam in animis hominum opinio,quicquid peccati à quoquam fieret,id totum permittente duntaxat, non autem volente Deo fieri: permiſſionem autem hanc ab omni prorſus Dei voluntate ſeparabant, vt Deum iſta quæ permiſerat, nullo tamen modo voluiſse dicerent. Cum autem Dominus, quæ fiunt, ea non tantum vt fieri poſſint, permittere ſit exiſtimandus, quaſi ſe illis rebus omnino non intermiſceat, nec ibi quicquam habeat quod agat, ſed etiam ſingulari ſua prouidentia ſic omnia moderetur, vt nihil in toto mundo contra ac ipſe voluit & decreuit, eueniat: velle Deum aliquo modo ea,quæ impij faciunt,fieri,atq; hanc Dei voluntatem ſic eſse efficacem,vt in impijs hominum actionibus ſuum Dominus decretum exequatur, negari profecto non poteſt. Nã in peccato duæ res ſunt cõſiderãdę,ipſa actio,& actionis vitiũ: q̃ te tu us Aquinas docere potuit, quodq; ille didicit ab Auguſt. Actio,quatenus res eſt & op⁹ bona eſt: eã enim deus efficit,at quaten⁹ hæc ipſa actio vitioſa eſt,nõ à Deo,ſed ab ipſa hominis corrupta natura proficiſcitur. Quanquã ergo deus,qui omnia in omnibus operatur,

Queſt. diſp. p. 1. queſt. 1. ar. 6

tur, & quo inuito fieri nihil poteſt, ſuum quoddam opus in malis hominum actionibus efficit, tamē ipſe quæ iuſta ſunt facit, nec ipſorum hominum vitijs affinis vllo modo cenſendus eſt. Ergo quod homo impius facit, id vt eſt peccatum & peccati propriam rationem habet, nec vult, nec ſuggerit, nec iubet, nec efficit Dominus, imo auerſatur, atq; vlciſcitur, & pœna ſempiterna dignum iudicat. Verum quod de re ipſa dicitur, id tu ad rei qualitatem malitioſe atq; imperite accommodas, vt Deum, quia actionis author eſt & cauſa, vitij quoq; quicquid in illa actione reperitur, authorem eſſe cauſamque concludas. Nolo longa diuerticula perſequi, nec te illa ſcripturarum multitudine obruere, quam hic potui adhibere. Non enim ſchola mihi fuit aliqua explicanda, ſed tua putidiſſima calumnia breuiter refutanda.

Reſponde nunc mihi Campiane, cenſes ne quod quiſquam facit, quantūuis ſceleratus, id inuito ac nolēte Deo fieri? ſi ſtatuis inuito quicquam Deo fieri, quam illi prouidentiam atq; omnipotentiam relinquis? Nam qui fieri permittit, quod nullo modo factum velit, eum conſtat non eſſe tanta poteſtate præditū, vt quod factū nolit, prohibere pòſſit. Quare quæ fiunt omnia, ea fieri volente Deo neceſſe eſt fatearis, non quòd hominū peccata velit, hoc eſt, probet, ſed quia hoc modo iudicium ſuum exercet, & decretum exequitur, quod ille & vult & probat. Deus malis inſtrumētis rectè vti poteſt, & per improbos homi-

homines ea perficere, quæ ipsius voluntati sententiæq; cõueniunt. Quæcunq; autem dominus per instrumenta mala facit, ea nec agit nec probat, vt sunt mala, sed vt sunt ipsius bona ac sancta iudicia. ita quanquam & vult quæ fiunt, & hominum voluntates mouet, & in malis instrumentis vim efficacem, ipsis licèt instrumentis occultam, exercet, & impiorum hominum scelerata cõsilia gubernat, ne quid efficere possint, quod ipse nolit, tamen & homines impij sunt, quanquam ea faciunt, quæ Dominus vult, & Dominus sanctus est, etiamsi ea vult, quæ impij faciunt. Id exemplis potuit fieri manifestum: sed malo Augustinum audias, quàm me: *Quum pater*, inquit, *tradiderit filium, & Dominus corpus suum, & Iudas Dominum, cur in hac traditione Deus est iustus, & homo reus, nisi quia in re vna, quam fecerunt, causa non vna est, ob quam fecerunt?* Deinde *Quòd mali peccant, eorum est: quòd peccando hoc vel illud agunt, ex virtute Dei est, tenebras prout visum est dirimentis.* Atq; alio in loco: *Multum*, inquit, *interest quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem quisque suam referat voluntatem, vt aut approbetur, aut improbetur. Nã Deus quasdam voluntates suas, vtique bonas, implet per malorum hominum voluntates malas: sicut per Iudæos maleuolos, bona voluntate patris Christus occisus est, quod tantum bonum fuit, vt Apostolus Petrus, quando id fieri nolebat, Satanas ab ipso qui occidi volebat, diceretur.* Et alibi: *Deus*, inquit, *indurauit per iustũ iudicium Pharaonẽ, & Pharao se-*

Augustin. epist. 48 ad Vincentium

De grat. & lib. arbit. cap. 23

ipſum induxit per liberum arbitrium. Atque vt planè perſpicias de Dei voluntate nihil à nobis aliud doceri, quàm quod Chriſti eccleſia iam olim docuit, adiungam alia nonnulla, quæ idem alibi ſcripſit Auguſtinus: *Magna*, inquit, *opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem: quia non fieret, ſi non ſineret, nec vtique nolens ſinit, ſed volens*. Et rurſus, *Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas voluntates eorum quocũq; vult, ſiue ad bona pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro ipſorum meritis iudicio vtique ſiue aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper autem iuſto*. Teſtimonijs vti poſſum in hac cauſa infinitis, ſed opinor, non magnopere neceſsarijs. Excitabo è tua ſchola Hugonem de Sancto Victore, qui noſtram ſententiam ſuis verbis clariſsimè comprobabit. Sic enim ſcribit, *Nunquam caſſa eſt voluntas eius, vt non fiat quod vult, neque in ſumma aliquando vt fiat, quod non vult*: Et paulò poſt: *Voluntas Dei ſemper impletur, & non excuſantur mali propterea, quoniam in eis & per eos voluntas Dei impletur, quoniam non ſua voluntate ad implendam Dei voluntatem diriguntur, ſed occulta ipſius diſpoſitione diriguntur.*

Enchir. ad Laurent. cap. 100.

De grat. & lib. arbit. cap. 21

De ſacram. part. 4. cap. 14

Cap. 15

Sentis ne aliquando Campiane, nullum nouum in noſtris eccleſijs παράδοξον defendi, quod non & olim in Chriſti eccleſijs receptum eſt, & illuſtrem habet veritatis defenſionem? Nam quod adiungis, *Proprium Dei opus fuit, vt vocatio Pauli*,

li, ſic adulterium Dauidis, Iudæq; proditio, vnde iſta hauſeris ignoro. Hæc Dei opera noſtrum nemo ſic inter ſe comparat, vt perinde in Dauide Iudaque Deum operatum eſſe dicamus ad ſcelera perpetranda, atq; eſt in Paulo ad efficacem conuerſionem. Egit quidē Dominus & in hoc, & in illis; ſed non vno ſimiliq; modo. Pauli cor intus ſuo Spiritu afflauit eiuſq; mentem vera fide imbuit, qua ille antè caruit: Dauidi verò ac Iudæ non nouam aliquam impietatem, ac voluntatis inclinationē iniecit, nec nouos admouit ſtimulos ad peccandū (abſit vt id quiſquā Chriſtianus vel cogitarit) ſed currentes ſua ſponte, & per ſe incitatos ſic tenuit atq; inflexit, vt ignari, nihilq; tale ſuſpicantes Dei decretum exequerentur. Iſto enim Dauidis adulterio Dominus & ipſum Dauidē vltus eſt, dum peccatum peccato vindicauit, vt ſolet, & viā ſuis conſilijs in poſterum patefecit. Simile illud eſt de Abſalomo: is Dauidis cōcubinas cōſtuprauit: ꝙ ſcelus infandum fuit: tamen iſto modo Dominus ſumere de Dauide ſupplicium decreuerat. Iudæ verò proditio, ſi hominis ipſius auaritiā perfidiamq; ſpectes, deo ſic diſplicuit vt ipſum nihil vnquā magis offenderit: tamē & Iudæ proditionē, & Pōtificum crudelitatem ad perficiendum illud ſalutis noſtræ negotium dominus adhibuit, & his inſtrumē tis peſſimis opus efficere lōgè diuiniſſimum voluit. Itaq; hos ōmnes Apoſtoli nihil aliud feciſſe teſtantur, quàm quę manus & conſilium Domini decreuerat facienda. Neque hic

2. Sam. 12. 12

Act. 4. 28

monstri aliquid est, cuius aut Philippum aut quenquã pudere oporteat, nisi tibi forte sacra Scripturæ doctrina monstrosa videatur.

Quod autem percontaris quo animo Lutherus versum hunc demeret supplicationibus ecclesiæ, *Sancta Trinitas, vnus Deus, miserere nobis*, nimiùm tu quidem es suspiciosus. Si malè de Trinitate senserit Lutherus, conuince: libri sunt in manibus, atque a vobis, vt videtur, leguntur perdiligenter. Profer, si potes, vocem aliquam vel Trinitati, vel vnitati iniuriosam. Si enim ex scriptis omnibus, quæ sunt innumera, nullam potes probabilẽ suspicionis huius significationẽ elicere, quid de versu vno Supplicationibus ecclesiasticis dempto, quæris: qui demptus sit, an non sit, nescio: atque vt demptus sit, ab illo tamen fuisse demptum qui constat? At Lutheri dura admodum conditio est, quem & quæ scripsit, & quæ non scripsit, præstare oportet. Atque hæc illa sunt nostra de Deo paradoxa, quæ tu in omnium nostrorum libris, qui tam infiniti ac immensi prodierunt, animaduertere potuisti. Salua res est: aduersarius omnia peruestigauit, nec tamen quicquam inuenit.

De Christo. Mox ad Christi personam progrederis, quęrisq; quid ista sibi velint Caluini, *Christus Dei filius, Deus de Deo, Deus ex sese*? Quid hic reprehendis Campiane? Quòd Christum Dei filiũ dixerit? an quòd Deũ ex Deo appellarit? an verò quòd ex sese deum esse pronuntiarit? At quid istorum non sanctũ, non concessum, nõ fide

fidei Catholicæ conſentaneum eſt? Quæ ſi negas, nō noſtrum aliquod παράδοξον reuinçis, ſed tuam hæreſin prodis? Sed illud eſt, ni fallor, in quo noduni, tanquam in ſcirpo, neſcio quem, inueniſti. Chriſtum patres Niceni Deum de Deo profitentur, vt patri filium ὁμοούσιον eſſe doceant. Hoc dictum deinceps nónulli arripuerunt, vt Chriſtum non per ſe atque ex ſe Deum eſſe, ſed hoc à patre accepiſſe contenderent: in quo Chriſti diuinitatē penitus ſuſtulerunt. Niſi enim ex ſeſe Deus eſt, omnino Deus eſſe non poteſt. Nā vt deus ſit, id Deo ex ſeſe inſitū eſt. Quare vtcunque patres illi Chriſtū eſſe dixerint Deū de Deo, tamē firmiſſimè tenēdū eſſe cōfirmat Caluinus, Chriſtum ex ſeſe habere vt Deus ſit, niſi Chriſtū volumus ſua diuinitate ſpoliare. Vt ſit filius, id quidē à Patre accepit: eſt enim patris filius: vt Deus ſit, id ex ſe habet, quia per ſe Deus eſt. Quid tu nunc Cāpiane? *Deus de Deo, Caluino eſt Deus ex ſeſe.* Siccine verò ais? nōne id te Caluin. monuit, Dei nomē pro patre ſumēdum eſſe, quando dei filius Chriſtus appellatur? quod ergo tradunt Niceni patres Chriſtum eſſe deum ex deo id ita intelligēd ū eſt, vt filium de patre genitum eſse fateamur, nō vt dei nomē vni patri tribuamus. Videndū enim eſt ne ita eſse ex patre filium ſtatuam⁹, vt ex ſe deum eſse negemus. Atque hæc Caluin⁹ diligētiſſimè ſanctiſſimèq; expoſuit, nec omnino verbū vllum edidit a ſcripturarū eccleſiæq; catholicæ fide alienū. Recordare illam Auguſtini vocem, *Chriſtus ad ſe Deus dicitur*

Homil. de tempor. 38

citur, ad patrem filius dicitur. in qua potes veteris ecclesiæ sententiam agnoscere.

Nunc Bezam aggrederis, vt enim canes solent rabiosi, loco non consistis, sed huc illucque volitas, ac in quemcunque incidis, eum pestifero morsu, denteq; illo tuo venenato perstringis. *Beze*, inquis, *non est genitus de patris essentia.* Quid tu Bezæ succenses, si ea dicit, quæ dicta a vobis ipsis & defendi solent? Neq; enim potes nescire, quid Lombardus tuus de essentia Diuina doceat, quam & ille, & qui illum sequuti sunt scholastici *nec generare* affirmant, *nec generari.* Non enim essentiam ab essentia, sed personam à persona gigni. Si istos Beza voluit imitari, vt Christum non de essentia, sed persona patris genitum dixerit, quid reprehendis? Neque tamen fingendum est separatam esse a persona essentiam, quasi filij essentia sit aliena ab essentia patris: (vna est enim Deitatis simplexque essentia,) sed quandoquidem persona, etsi non re, tamen relatione distinguitur ab essentia, solitique sunt veteres isto modo loqui, vt Christum de persona patris potiùs quàm essentia genitum dixerint, mirum non est eam etiam loquendi formam Bezæ maximè placuisse, qui de summis mysterijs cautè semper & considerate statuendum esse iudicauit. Essentiam verò minimè generari tota tenuit vetus ecclesia, quemadmodũ Basilius disertè scribit, τὸ γὰρ θεὸν μήτε παρ' ἑαυτοῦ, μήτε παρ' ἑτέρου γενέσθαι. Quanquam an ista Bezæ verba sint, quæ recitas, non satis scio: ea certè non memini

Contra Eunom. lib. 1

meminì vſquam in Beza legiſſe, nec in hoc loco, quem profers, poſsum reperire. Illa verò quæ ſequuntur, prorſus ſunt malitioſa. Dixerat aliquando Beza in Chriſto duas eſse vniones hypoſtaticas, quemadmodum tu ais, *Alteram animæ cum carne, diuinitatis cum humanitate alteram.* Quod eius dictum Iacobus Andreæ reprehendit: & quidem non immerito, quanquam id ex eo dicto non conſequitur, duas eſse in Chriſto perſonas, etiamſi duæ ſint hypoſtaticæ vniones. Verùm id quia fuit ambiguè ſcriptum, velle ſe libenter emendare Beza profitetur. Quid verò potes amplius poſtulare? Si errauit, at non perſtitit in errore, ſuumque erratum emendauit. Qua ergo fronte potes ei exprobrare, quod ſemel incautius exciderat, quãdo illud ipſum pòſt correxerit? Et de Chriſti perſona vbiq; Beza ea docet, quibus nihil eſse verius ac ſyncerius poteſt. Neque hoc, quod de duabus hypoſtaticis vnionibus obijcis, noſtrûm quiſquam affirmare aut defendere ſolet. Vnicam enim hypoſtaſin, e duabus naturis conſtitutam confitemur, & vnionem hypoſtaticam non niſi vnam agnoſcimus. Quanquam enim Chriſtus corpus ſimul animamq; humanam aſsumpſit, tamen hæ partes nõ ita ſunt in Chriſto ὑποστάτως coniunctæ, vt perſonam quandam efficiãt diuinitate ſeparatam, ne Chriſtum è duabus perſonis conſiſtere exiſtimemus.

Iam iterum ad Caluinum recurris, quẽ ego priùs a te dimiſsum putaram. Locũ apud Ioannẽ, *Ego & pater vnum ſumus, Caluinus negat o-*

ſtendere Chriſtum Deum eſſe homouſion Deo patri. Quid tum Cãpiane? Tantùmne ſcelus erat, in vnius loci interpretatione, ab antiquis patribus diſſentire? An ille vnquam eſſe Chriſtum patri ὁμοούσιον negauit? Non potes id dicere. ſemper enim conſtantiſſimè docuit, & Arianos aliis innumeris ſcripturæ ſententijs refutauit. Quid enim? an eſſe patri filium ὁμοούσιον non poſſe arbitraris, niſi id iſte locus oſtendat? Qui illam Chriſti cum Iudæis concertationem attentè perlegerit, quam in illo capite Ioannes expoſuit, is voluntatis potiùs & potentiæ vnitatem, quàm eſſentiæ ſignificari, facilè perſpexerit. Affirmat Chriſtus neminem poſſe oues ipſius e ſuis manibus eripere: atq; vt id planè perſuadeat, adiungit, *Ego & pater vnum ſumus*. Non video quemadmodum ex eo poſſis ſubſtantiæ vnitatem cõcludere: niſi ſemper illud *Vnum* de ſubſtãtia intelligas. Quid ergo eſt, quod Chriſtus ait, non de ſe tantũ & patre, ſed vniuerſis fidelibus, *vt omnes vnũ ſint, ſicut tu pater in me, et ego in te*? Illum locũ in epiſtola Ioannis, *Hi tres vnũ ſunt* gloſſa ordinaria ſic exponit, *id eſt, de re eadem teſtantes*. Eraſmus verò multò adhuc vehementiùs antiquos patres exagitat, quia his verbis abuſi ſunt contra Arianos, *Ego & pater vnum ſumus*: nõ quòd ipſe, opinor, admodum fauerit Arianis, ſed quòd id a patribus non magna ratione fieri ſenſerit. Sed illud etiã *homouſiõ* Luthero dicis fuiſſe odioſum: is enim ait, *Anima mea odit hoc verbum homouſiõ*. Nunquam id Lutherus dixit: ſic modò ait, ſi verbum

Ioan. 10.

Ioan. 17. 21

1. Ioan. 5. 8.

Eraſmus in annot. in 1. Ioan. cap. 5

bum hoc ὁμοούσιον odiſſet, tamen hæreticum non fore, dummodo rem ipſam teneat. Hæc Lutheri verba ſunt. *Quod ſi odit anima mea vocem homouſion, & nolim ea vti, non ero hæreticus. Quis enim me cogit vti, modò rem teneam, quæ in conſilio per ſcripturas definita eſt?* Atque vt nomẽ oderit Lutherus, rem ipſam tamen amauit vt animam ſuam. Hoc verò nomine conſtat multos, eoſque præſtantiſsimos viros olim eſſe vehementer offenſos, vt quidem auditũ fuiſſe nunquam exoptarint. Ita enim iſto nomine ſemel introducto eccleſiæ mutuis odijs ac contentionibus conflixerunt, vt ipſos ſanctos patres eius nominis non mediocriter pæniterit. Nec ſi quis nomen fortè ſublatum voluit, quod multis diſſidijs occaſionẽ prębuit, is ſtatim rẽ ipſam illo nomine declaratã improbare exiſtimãd⁹ eſt. Tres Hypoſtaſes Hieronymus adduci nõ potuit vt ſuſciperet, quia nouum illud, *Hypoſtaſis*, nomẽ ſuſpectum habuit: veritus enim eſt ne quid ſub eo nomine veneni lateret: Perſonas tamen tres agnouit ac prædicauit. Vtrunq; nunc vocabulũ receptũ eſt, nec eo quiſquã offendi debet. *Hieronym epiſt. ad ad Damaſum*

Pergite, inquis: & tu perge Campiane, quandoquidem ita vis. Preſtabat verò, certè deſiſtere, quam iſto modo pergere. πάλιν ἀρομῶσαι μᾶλλον ἢ ἀρχμεῖν κακῶς. Id nunc accuſas qnòd Chriſtum *ab infantia non fuiſſe gratia conſummatum, ſed animi dotibus velut ceteros homines adoleuiſſe dicimus, vſuque factum eſſe quotidie ſapientiorem*. Facilè iam patior obijci multa nobis à te Paradoxa, quando

do ipsam Euangelij historiam eodē crimine condemnas. Quis enim speret calumniam se tuam effugere posse, qui non dubitas in Euāgelicas literas audacissimè inuolare. Quid enim hic aliud docemus, quàm quod Euangelista scriptis semel atq; iterum consignauit? Sic enim apud Lucā legimus, *Puerulus crescebat, & corroborabatur spiritu, & implebatur sapientia, & Dei gratia ipsi inerat.* Deinde rursus, *Iesus proficiebat sapientia, & statura, ac gratia apud deum et homines.* Quid aliud ex his verbis intelligi potest, quā Christum statura simul & sapientia creuisse, quantoq; magis ætate adoleuit, tanto maiores in Spiritus sancti dotibus progressus habuisse? Sic enim de Ioanne paulò priùs Euangelista noster scripserat, *Puerulus ille crenit & corroboratus est Spiritu.* An tu etiam Ioannem statim ac natus est perfecta sapientia, spirituq; gratia præditum fuisse existimas, vt nulla vnquam facta fuerit accessio? At Christum Lucas ait fuisse *plenum sapientia*. Non nego: quanquam Lucas non πλήρη, plenū sapientia fuisse dicit, sed πληρούμενον, quo profectus quidam atque accessio significatur. Sed vt demus fuisse plenum, nihil ne ergo postea accessisse cōcludes? Quid autem statuis de Ioanne, quem fore spiritu sancto plenum etiam ab vtero matris suæ angelus prædicit? Quare si id habuit Christus, vt cum primùm factus est homo, summa ac perfecta sapientia, cæterisque spiritus donis fuerit cumulatus, solus certè non habuit. Neq; scholasticorum authoritate commoueor,

Luc. 1. 80

Luc. 2. 40

moueor, qui ne quid minùs honorificè de Chriſto ſentire videantur, ſtatim illi ſumma omnia tribuunt: & Damaſceni argumentum ab vnione hypoſtatica ſumptum id minimè concludit, niſi Deitatem exiſtimemus ſuas omnes qualitates in Chriſti humanitatē infudiſſe. Quod de hoc ſapientiæ progreſſu ſcribit Euangeliſta, id ad Chriſti naturam humanam duntaxat pertinet. Et quando Chriſtus integram voluit hominis naturam aſſumere, atque homo fieri, nobis per omnia ſimilis, dempto peccato, & illam dei perſonam deponere, ſeq; exinanire, ac ſerui formam ſuſcipere, num erit a Chriſti perſona alienum, vt factum eſſe paulatim & ſapientiorem, & gratia pleniorem dicamus? Erat ille quidem gratia pleniſsimus, & quicquid gratiæ quiſquam habuit, id totum ex hoc vberrimæ gratiæ perenni fonte hauſit. Sed tamen hoc non prohibet quo minus Chriſtus, quemadmodum Euangeliſta ſcribit, ſapientia profecerit: id quod etiam Ambroſius confitetur. Sic enim ait, *Secundum carnem vtique ſapientia implebatur & gratia.* Neque ab iſta ſententia tui etiam aliqui abhorrent, Campiane, ne illam forte putes tam eſſe nefariam, vt in hominem Catholicum cadere nequeat. Etenim Ianſenius epiſcopus Gandauenſis, qui conuenticulo Tridentino interfuit, ſe libenter in hanc ſententiam ire profitetur. Et Eraſmus (quanquam illum in tuis non numero) eam eſſe veriorem animaduertit.

Damaſc. li. 3 de orthod. fide

Heb. 4, 15

Philip. 2

Ioan. 1. 16

Ambro. in Luc lib. 2. cap. 2

Commentar. in concord. Euan. cap. 12

Eraſ. annot. in Luc. cap. 2

Verùm, *Ignorantia etiam laboraſſe Chriſtum*, inquis

inquis *affirmant*. Certè. Quid ni enim id possint affirmare? *Hoc autem* ais, *perinde est, ac si dicerent originis labe & vitio sordidatum*. Accutè. nunc tandem incipis argumentari, vt Academici nostri tuam intelligant mirificam disputandi subtilitatem. Istone modo nobiscum ageres Campiane, si tibi illa pugna, quam toties exoptas, permissa esset? Quid enim dici potuit magis plumbeum? Christus aliquid ignorauit: ergo Christus originis labe fuit sordidatus. quasi qui aliquid ignorat, quod sciri omnino possit, aut qui non sit perfecta rerum omniũ cognitione præditus, eũ esse vitio fœdatum sit necesse. Itaq; sic tibi parem argumentationẽ referam: Angeli multa nunc ignorant (diem enim illũ & horam nesciunt) & Adamus, antequam peccarat, rerum multarum ignarus fuit: neq; enim fieri sibi á Satana insidias intellexit) ergo & angeli nunc peccati labe aspersi sunt, & Adamus in summa innocentia peccator fuit. Nunquam ita nos aculeis istis pũges Campiane, vt mortiferum vulnus pertimescamus. Ignorantiæ genus esse quoddam omni culpa vacuum, si nescis, disce à Thoma, qui te docebit ignorãtiam non *negatiuè*, quã ille etiam *Nescientiam* vocat, esse peccatum, sed *priuatiuè*. Si id consequi ex nostra sententia concluseris, Christum aliquid ignorasse, quod tũ scire debuit, quãdo illud ignorauit, nos de hoc gradu deieceris. Nam ne illa vitiosum est nesciri, quæ tamẽ scire possunt, nisi nostrâ interest ea habere cognita. Quis enim baiulum reprehendat,

Mat.24.36.

12q.76.ar.2

dat,quòd Mathematicas artes ignoret? Sed de Chriſto id nunc tibi reſpondeo, quod iſtā cauſam propiùs attingit. Etſi erat ab omni labe peccati puriſsimus, vt nihil eſſe poſſet incorruptius, tamē pœnam in ſe recepit peccato debitam,vt ea nos liberaret. Itaq; mori etiam voluit,etſi mors à peccato fluxit. Qui ergo mortem pro nobis ſuſtinuit,quam peccatum inuexit, poſsit aliquid ab eo eſſe alienum, quod noſtrum ſit, modò non ſit vitio aliquo infectum? Et tu nunquam in Chriſto ignorantiam magis, quàm mortem fuiſſe vitioſam euinces.Chriſtus vti erat verus homo, etſi purus homo, ita non ſemel omnia ſenſit, cogitauit, intellexit, & dormiuit etiam aliquando. An tu etiam dormientem Chriſtum exiſtimas res omnes memoriâ complexum eſſe. id vt tibi credamus affirmanti, cauſam nullam video. Quod Chriſtus de die illo horaq; dixit *(nemo ſcit nec ipſe filius)* id Cyrillus de ſe loquutum eſſe Chriſtum ſcribit, & prout erat homo iudicij diem ignoraſſe, quia proprium eſt humanæ naturæ futura ignorare.

Rom.6.23.

Mar.13.32. Cyril.Theſaur. lib.9.cap.4.

Iam verò diriora, inquis, *cognoſcemus.* Atque hîc multa commemoras de Chriſti ſudore, horrore, voce repentina. Quæ affers agnoſco, ſed nihil hîc παράδοξον video. Quid à vobis in circulis iactari ſoleat non ignoro, affici Chriſtum ignominia, quando illum dicimus tantis fuiſſe animi doloribus cruciatum. Verùm iſta,quæ nunc obijcis, Campiane, tantum abeſt vt vel negem, vel diſsimulem,vt illa palam libereque prędi-

çem ac præ me feram, irruat in me licet tota Iesuitarum natio, nunquam tamen pudebit Christi misericordiam celebrare, quam ab istis video infandis iniurijs violatam. Quid enim? Quē illū fuisse sensum putas, qui Christo tantam tristitiam atq; angorem attulit, vt sudorem ei sanguineum expresserit? Num mortem modò illam, quę vitam sensumq; aufert? Sic eius mortis metu frangi cēses Christum potuisse, vt tantum animo dolorem cōciperet, vt poculum illud remotum cuperet cuius exhauriendi gratia venerat, vt totus sudore & sanguine flueret? hanc Christus mortem tantopere perhorresceret, quam martyres hilares lætiq; adierunt? Id demum esset Christum afficere vera contumelia, quam illi vos maiorem imponitis, dum vultis minorē depellere. Quare quod tātos in Christo horrores excitauit, ira illa Dei in genus humanum acerbissima fuit, quam perpeti Christū ad tempus & sustinere oportuit. Christo enim totum peccatorum nostrorum pondus impositum est, quod secum irę diuinæ tristissimam recordationem attulit. Quum ergo Christus mediator nostris peccatis onustus, offensionis diuinæ magnitudinē perferret, & pœnam solus scelerū nostrorum lueret, equidem cohorruit, vt homo, & illos incredibiles animi dolores multis modis significauit. Hinc illa vox in cruce emissa, *Deus meus, Deus meus, cur dereliquisti me?* quam ille nō fictè, sed ex animo edidit, non desperatione, vt tu improbè scribis, sed iræ diuinæ, qua ipsum nunc

ἀδημονεῖν, ἀγανίᾳ.

nunc defungi oportuit,conſideratione. Hæc illa Gehenna fuit,quam Chriſtus viuus,non, vt tu Caluino obijcis, mortuus guſtauit. Et certè cruciatus hic, quem Chriſtus eo tempore perpeſſus eſt, ipſos quodãmodo Gehẽnæ dolores exæquauit.Sed iſta à vobis reprehenduntur,quia non intelligũtur.Neq; enim Papiſtæ, quid pro nobis morte ſua Chriſtus præſtiterit,& quas pœnas patri ſuo perſoluerit plumbeis illis pectoribus ſuis capere poſſunt. Itaque fieri iniuriam Chriſto clamant, quando ea perpeſſum eſſe dicimus, quæ ille pro nobis perpeti & voluit,& debuit.Nec corpore tantũ mori Chriſtũ, ſed mente etiam cũ morte luctari oportuit,quia hominis nõ corpus duntaxat, ſed anima etiam Deum offenderat,mortẽq; ſempiternam meruerat. Qui verò doctrinam hanc diuini ſolatij pleniſſimum exagitant, eos ſi Caluinus acerbiùs inſectatur, nemo bonus hoc nomine ei meritò ſuccenſeat. Id tu ferre non potes: itaq; *Tẽpora,tempora,monſtra* vociferaris. Monſtri forſan aliquid Romæ vidiſti, aut multa potiùs mõſtra,quæ nunc te furioſis cogitationibus perturbant,& cogunt exclamare. Sed nos Academici non nimiùm ſolemus hominum inſanorum clamoribus commoueri. Vincit enim in ſcholis non qui clamare acutiſſimè,ſed qui diſſerere ad veritatem aptiſſimè potuit. Verùm contine pauliſper vocem, & te collige Campiane,mox fore mitiorem ſpero,ſi paululũ requieueris. Neq; enim hunc animi tui impetum perpetuum eſſe audio, & verbis nõ

dubito posse sedari. Christo ais, à nobis iniuriam cõtumelioſam fieri. Quamobrem? quia nimiùm hoc modo deprimitur, multumque de ipsius maiestate detrahitur. De eo tibi Nazianzenus respõdet, μὴ διὰ τοῦτο ἄτιμος, ὅτι διὰ σὲ ταπεινός; id est, *Num idcirco Christus honore suo spoliatur, quia factus est tua causa humilis?* Quantam autem doloris acerbitatẽ Christus perceperit, disce ex Rabano, si is tibi fortè curæ sit. Sic illa verba Christi explicat, *Quare me dereliquisti: Saluator* inquit, *hoc dixit nostros circumferens motus, qui in periculis positi deseri nos putamus. Humana enim natura propter peccatum fuerat derelicta, sed quia filius Dei factus est noster aduocatus, quorum suscepit culpam, deplorat miseriam*. Et Hieronymus quanquam fuit propter Arianos ab hac sententia alienus, tamen ei vis ipsa veritatis aliquam confessionem extorsit. De Christi precatione, qua vt illud poculum transferretur, orauit, sic scribit: *Attamen reuertens in semetipsum, quod ex hominis persona trepidanter rennerat, ex Dei filij confirmat. veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. non inquit, hoc fiat quod humano affectu loquor, sed propter quod ad terras, tua voluntate descendi*. Et Ambrosius ad Gratianum hæc verba habet: *Sicut susceperat voluntatem meam, suscepit tristitiam meam*. Denique Melchioris Cani, cui tu multum meritò debes, sententiam adiungam, vt hominis planè Catholici hac de re iudicium cognoscas, *Consentaneum*, inquit, *profectò erat, vt filius Dei hostiam se pro peccato exhibiturus, non solùm*

Nazianzen.

Rabanus in Catena Thomæ.

Hieronymus.

Ambrosius.

Melch. Canus. lib. 12. cap. 13.

lùm corporis & animæ ſenſitiuæ dolores, ſed angores quoque Spiritus, & voluntatis triſtitiam ſuſciperet, quo pro culpis noſtris omnibus hoſtia illa Deo acceptiſſima omnibus omnino modis cõtereretur. Et paulò poſt: *Derelictus à Deo, omniq; penitus ſolatio deſtitutus non gaudebat.*

Bucerum præ hac inſania modeſtum fuiſſe dicis, quanquam eſſet impudens, *qui infernum in Symbolo, ſepulchrum accipit.* Mitto conuicium, quod tibi nullo in loco deeſt: nec placet de iſto Inferno longam reſponſionem expromere. Res in nonnulla doctorum hominum diſſenſione poſita eſt, qui vtcunque inter ſe minùs de re conueniunt, in eo tamen præclarè conſentiunt, improbè vt Papiſtas de Chriſti ad inferos deſcenſu ſenſiſſe fateantur. Infernum autem ſiue Chriſti ſepulturam ſignificet, vt putauit Bucerus, ſiue illam animi ægritudinem, qua paulo ante mortẽ Chriſtus affectus eſt, vt voluit Caluinus, Articulum tamen retinemus, & Chriſtum ad inferos deſcendiſſe prædicamus. Si id aliter intelligi non potuit, quàm vt Chriſtus ad Limbum, neſcio quem, patrum deſcenderit, atque ex eo loco infinitam ſecum hominum ſanctiſsimorum multitudinem eduxerit, erraſſe Bucerum, lapſum eſſe turpiter Caluinum fatebor. Sed veſtra illa de inferis inſomnia, digna ſunt, quæ in ipſis ſepeliantur Inferis. Quod autem deliberatum eſſe ais in quodam Londinenſi cõuenticulo, quemadmodũ ille articulus poſſet de Symbolo tolli, id quidem ego nunc primùm audio, neque vel tibi, vel tuo *miſerrimo*

Chenio, qui hanc tibi fabulam narrauit, fidem habeo. Quanquã si vetera olim & Romanæ & oriẽtalis eccleſiæ *Symbola* eo articulo caruerunt, quemadmodum author eſt ille, quiſquis eſt, qui *Symbolum* commentarijs illuſtrauit apud Cyprianum, leuior forſan eorum culpa fuit, qui Romanam eccleſiam, quam tu errare poſſe negas, imitari voluerunt.

De homine. Nunc de homine quæris: & nos iſto modo loquentes introducis. *Imago Dei penitus in homine deleta eſt, nulla boni ſcintilla ſuperſtite*. Sic enim, inquis, Illyricus, Sic Caluinus docuerunt. Illyrici ſententiam agnoſco, quã nobis eſſe fraudi non oportere ſentio: neque enim ignoras Campiane, eius de Imagine Dei, & inſiti peccati natura opinionem à noſtris hominibus & reprehenſam eſſe & refutatã? Progreſſus ille longiùs eſt quàm oportuit, credo, vt ſe à vobis, quos penitus oderat, longiſsimè remoueret. Vellem verò ſua quædam emendaſſet: ne ille vir ſũmus extitiſſet. Verùm Caluino manifeſtam iniuriam facis, quem illyrico huius ſententiæ ſocietate coniungis. Is enim planè contrà, ac tu illum loquentem facis, *non penitus in homine deletam fuiſſe Dei imaginem*, diſertè ſcribit. Sed hic tuus mos eſt, vt quando non potes quæ dicimus reprehendere, ea dici a nobis fingas, quæ facilè reprehendi poſſunt. Hominem docemus ſic initio conditum & formatum eſſe, vt Imagini Diuinæ per omnia reſponderet. ea verò Imago fuit perfectiſsima partium omnium integritas, bonis omnibus & virtu-

Inſt. 2. 1. cap. 15 ſect. 4

virtutibus, quæ in puram hominis naturam cadere potuerunt, exaggerata. Quicquid sentiret, appeteret, vellet, cogitaret, intelligeret, sanctum fuit, & rectum, & voluntati Diuinæ consentaneũ, etiam ad illius legis normam, *Diliges Deum toto corde, tota anima, totis viribus, & proximum tanquam ipsum te*. Postquam autẽ Adamus a Deo desciuisset, hanc imaginem miserè corruptam ac deformatam esse dicimus, vt neque intellectus illam pristinam lucem retineret, nec voluntas Deum amaret, imò tota ab illo auersa esset, nec vis vlla corporis aut animæ integra remaneret. Quanquam ergo non negamus illius nobilissimæ imaginis nonnullas adhuc reliquias superesse, tamen quod nos Deo conciliet, gratosque faciat, & nobis ad salutem sufficiat, id totum extinctum ac deletum esse confirmamus. Nõ ratio omnis, non iudicium, non intelligentia penitus amissa est, quæ fuit illius imaginis particula quędam, non voluntas omnino nobis nulla reliqua est, sed tamen istis omnibus quæ nunc in nobis remanent, eam plagam Adami à Deo defectio imposuit, vt nec voluntas per se velle possit quicquã, quod Deus approbet, & mens cogitare, intelligere, iudicare sine errore recta ac vera nequeat. Itaque Ioannes ait *Lucem in tenebris lucere, sed tamen à tenebris non comprehendi*. At verò illa maiora, fides, iustitia, sãctitas, perfecta virtus, quę nos ad fœlicitatem æternam perducant, hæc demum nõ modó vulnus acceperunt, vt fierent infirmiora, sed prorsus interierũt, vt esset nul- Ioan. 1. a. 5

la, quousq; in nobis per Spiritum sanctum & regenerationis gratiam renouentur. Quare sic Dominus de homine pronunciat, quem ipse ad suam imaginem effinxerat, quemque intus & penitus nouerat, *Multa erat malitia hominis in terra, & omne figmentum cogitationum cordis tãtummodo malum erat omni tempore*. Atq; vt ista intelligamus de ipso genere humano, quale in se est, edita esse, non tantùm de illis sceleratis hominibus, qui ante Diluuium vixerunt, iterum dominus ista repetit post Diluuium, quando Noah vnus cum sua familia viuus erat in terris reliquus: *Posthac*, inquit, *non maledicam vltra terra propter hominem, quantumuis figmẽtum cordis hominis malum sit ab adolescentia*. An tu potes de hominis imagine melius rectiusque iudicare, quam ipse dominus potuit, Campiane? Si cogitatio omnis humani cordis, & semper, & duntaxat malo sit ipsumq; adeo figmentum, ac principiũ & quasi font cogitationum omnium corruptissimus, quid nunc de illa præstantissima quondam imagine supereſt, quod quicquã nobis ad cõparandam fœlicitatem conferat? Huc accedit quod Christus ait, *Quod genitum est ex carne, caro est: quod ex Spiritu Spiritus*. Si totus homo caro sit, totus certè impurus est & Paulus ait, *Nos eramus naturâ filij iræ*. At suam imaginem Dominus minimè odit, imo vbicunque illã aspexerit, summo amore complectitur. hominem autem totum, quantus quantus est, iræ filium Paulus pronunciat, quare nunquam nũc illa imago in nobis reperitur,

Gen. 6. 5.

Gen. 8. 21.

Ioan. 3. 6

Ephes. 2. 3.

quæ

quæ nos Domino charos efficiat. Neq; enim læsos modò nos & grauiter lauciatos, sic tamẽ, vt vitæ spes aliqua supersit, sed totos nos, quales in nobis sumus, morti sempiternæ sic deuotos atq; addictos esse dicit, quasi ad eam rem ipsa nos natura effinxerit. Quid plura cumulem testimonia scripturarum, quæ sic fusa sunt per omnes sacros libros, vt nihil sæpius, quàm huiꝰ imaginis amissio repetatur? Quare sic de homine post peccatum, ante restitutionem iudicamus, quemadmodum Augustinus scribit, quem ne ipsi quidem scholastici ausi sunt reprehendere. *Naturalia dona fuisse in homine per peccatum corrupta, supernaturalia exhausta.* De homine verò renato non ea dicimus, quæ tu affirmas, nihil in eo nisi meram corruptionem atq; contagionem reperiri. Est enim Christi Spiritu præditus, Christum in ipso habitantem possidet, fide, spe, charitate imbuitur. Qui verò nihil in se habet nisi corruptionem, eum minimè renatum esse constat. Nouum enim hominem, qui secũdum Deum conditus est, ad iustitiam & sanctimoniam veram reformari oportet. Quod quidem suum propriumq; habet homo renatus, id vitiosum est. Sic enim Apostolus legẽ aliam vidit in membris suis legi mentis suæ rebellantẽ: sed quæ diuinitus accepit, ea sunt isti corruptioni ac contagioni contraria, quæ si quisquam bona sanctaq; esse neget, in Spiritum sanctum blasphemus habeatur. Quod autem & dici ista à nobis fingis, & quamobrem dicantur exponis, mirificam tuam sapiẽtiam

Augustinus, citatur à Lombardo.

Ephes. 4. 24.

Rom. 7. 23.

tiam prodis, qui quæ omnino non sunt, etiã cur ea sint, potes explicare. Nos verò fidẽ libenter prædicamus, eamq; facilè patimur à vobis contẽni. Nam qui naturam defenditis cõtra gratiã, & vestre potiùs virtuti, quã Christi misericordię cõfiditis, & pręceptis promissa cluditis, in fidem honorifici esse non potestis.

De peccato. Nusquam insistis Campiane, fugæque similem pugnam exerces. Vagum enim habes, vt videtur ingenium, minimeque flatarium. Illyricum nunc iterum nobis in eadem causa opponis, cuius contra nos testimonium valere non debet. Hîc enim illi me non minus aduersarium profiteor, quàm te, penè dixeram, quàm tibi. Et quam est illud iniquũ atquè importunum, vt quam tute noris ab ecclesijs nostris damnatam esse sententiam, eam tamen vt defensam a nobis exagites? Nostra nobis obijce, si qua potes Campiane: nos ij non sumus, qui quicquid Illyricus potuerit, vt homo, errare id omnino nostrâ quicquam putemus interesse. Sed aut Illyricus erat in hoc iudicium pertrahendus, aut hic tibi locus vacuus fuit relinquẽdus. Pręter enim Illyricũ, qui perinde sentiat, habes, opinor neminẽ. Si nostram sciri de re ista opinionem desideras, fateor quidem illam Illyrici defensionẽ mihi semper visam esse perabsurdam. Nam & veterem redolet Manichæorum insipientiam, & animas in homine renato duas constituit: &, quod grauius est, ipsam animam perimit. Ea semper ecclesiæ Catholicæ sententia fuit, quam esse nostram profiteor,

teor, animæ ſubſtantiam non fuiſſe peccato prorſus interemptam, ſed mutatam ac qualitatibus vicioſis infectam: & peccatum non ipſam eſſe intimam animæ ſubſtantiam, ſed accidens. Baſilius rectè ſcribit. τὸ κακὸν ἐστιν οὐκ οὐσία ζῶσα καὶ ἔμψυχος, ἀλλὰ διάθεσις ἐν ψυχῇ ἐναντίως ἐχουσα πρὸς ἀρετήν vbi peccatū negat eſſe *vitam quandam animaque preditam ſubſtantiam, ſed animæ contrariam virtuti qualitatem*. Auguſtinus, *non ſubſtantialiter*, inquit, *manet ſicut aliquod corpus aut ſpiritus: ſed affectio eſt quædam malæ qualitatis, ſicut languor, peccatum Originale*. Deniq; Ambroſius apertiſsimè: *Quomodo inhabitat in carne peccatum, cum non ſit ſubſtantia, ſed præuaricatio boni?* Itaque huius erroris ſuſpicionem immeritò nobis à te impoſitum ad ipſum, ſi placet, authorem relegemus.

Baſil. homil. 2.

Auguſt. de nup. & concup. lib. 1. cap. 25

Ambro. in ca. 7 ad Rom.

Quod autem adiungis, *Tritū eſſe in hac fece, omnia peccata eſſe paria*, dici profecto nihil potuit impudentius, Ignoſce Campiane, ſi paulo tibi aſperus reſpondeo. Hanc enim mihi vocē tua immodeſta atq; intoleranda importunitas expreſsit. itanè es exhauſtus, atq; ab omni probabili criminatione deſertus, vt ea nobis obijcere non pudeat à quibus nos omnium ſumus alieniſsimi? Nam qui vnquam hoc Stoicorum παράδοξον vehementiùs improbarunt, fortiuſque refutarunt, quàm noſtri homines, quos tu nunc inſectaris? Teſtis eſſe poteſt omnis horum temporum memoria, teſtes libri, eccleſiæ, ſcholæ teſtis ipſa cum politica, tum eccleſiaſtica diſciplina. Num

his

his vijs ſperabas poſſe te in noſtrorum Academicorum animos irrepere, tam palàm, tam perditè, tam confidenter mentiendo? Roma, qualẽ nobis Campianum reddidiſti? quantũ mutatum ab illõ, quem accepiſti? Sic tu ſoles alumnos tuos inſtituere, excolere, perpolire, nihil vt pudoris priſtini domum referant? Quid querar, aut quos appellem? ſanè eos ipſos, ad quos tute ſcribis, Academicos noſtros: ij te poſſunt ſuis teſtimonijs conuincere. Hoc enim biennio Cantabrigienſes noſtri hãc ipſam cauſam in ſcholis Theologicis bis propoſitam ac defenſam audiuerunt, *Peccata non eſſe paria.* Si nec confeſsio noſtra, nec omnium mortalium teſtificatio ſatis ad innocẽtiam noſtram valere poteſt defendendam, ſimus Stoici, ſimus hæretici, ſimus omnia.

Verùm hæc Caluini ſunt, inquit Campianus, quanquam cum exceptione, *ſi Deo iudice ponderentur.* Hæccine Caluini ſunt, vt paria eſſe peccata dicat, ſed ita, ſi iudice Deo ponderantur? Nihil minus. neque enim recta eſſent Dei iudicia, ſi peccata eſſe æqualia iudicaret. Sed attendite ſolertiam ſingularem. Patres Tridentini Anathema pronunciant ijs, qui hominem iuſtum in quolibet opere bono peccare ſtatuunt aut *mortaliter* aut *venialiter*. His id reſpondet Caluinus quod Salomõ ait, *Homini rectas videri vias ſuas, at Deum corda ponderare.* Dei autem iudicio nihil eſſe ſyncerum ac probum, niſi quod ex perfecto eius amore manat. De peccatorum æqualitate verbum Caluinus nullũ facit, nec cur faceret

Antidot. ſexta, fol. in can. 25.

cauſa

cauſa fuit: tantum id vult, ſi piorum hominum opera vel præſtantiſsima Dominus ſuis ponderibus examinaret, facilè reperturum quòd damnaret. Quid hoc ad rem?

Quid autem Thomas Waldenſis Wiclefo obiecerit, non magni refert. Is in Wiclefum multa ſcripſit mortuum, nec vllam prætermiſit calumniam, quam ingenioſa malitia potuit excogitare. Wiclefo nulli aduerſarij viuo nocere potuerunt, mortuum damnarunt, è ſepulchro extraxerunt, cadauer exuſſerunt, quiduis in hominem ſanctiſsimum confingere potuerunt. Neq; ego vt iſta vnquã credam docuiſſe Wiclefum adduci poſſum, ſi id crimen nulla maiore, quàm aduerſarij, fide nititur. De Guiſio verò Heroe quod narras, facinus non defendo: qui perpetrauit, pœnas luit, quantas, credo, non ſolent caupones, qui gallos temere occidunt. Virum fateor fuiſſe Guiſium fortitudine admirabili: vellem fuiſſet maiore clementia. Interfectus eſt, ita vt dicis, ab homine nefario: quem ſi fortè vel ſpes impunitatis, vel ſupplicij metus induxit, vt habita quæſtione viros nobiliſsimos atq; innocentiſsimos accuſarit, nihil aut mirum, aut nouum. Quem ille conſilij ſui principem eſſe dixit, eum rex ipſe innocẽtem pronunciauit: Bezam omnes boni ſuis iudicijs iamdudum abſoluerunt.

A peccato ad gratiam confers oracionem: mallem tute tranſires. Speras autem, *vt qui in peccati conditione tam tetrici ſumus, de gratia diuina magnificè philoſophemur*. Equidem ſatis nos magnificè *De Gratia.*

gnificè philoſophatos exiſtimabimus, ſi philoſophiam omnem noſtram ad Chriſti crucem amplificandam referamus. Et tu de gra- Gal. 4. 24
tia philoſopharis, ſed, vt ſoles ſemper, paucis. Quid autem in noſtra philoſophia reprehendis? quia gratiam *extra nos in ſolo Dei fauore collocamus*. Id enim tuis perſuaſum eſſe vis, Campiane, homini omnem à nobis gratiam eripi, eamque in diuina ſolummodo mente, tanquam ideam *P*latonis, conſtitui. Sed aut neſcis iſto loco quid philoſopheris, teq; iſtius philoſophiæ ignarum eſſe prodis, aut noſtrã ſententiam tuis implicatam calumnijs non pateris eſſe manifeſtam. Etenim gratiam duplicem facimus (vt alias mittam multiplices diſtinctiones) in quo tuorum ſcholaſticorum philoſophiam minimè repudiamus. Vel enim gratia gratuitam Dei erga nos beneuolentiam, clementiamq; declarat, vel ea dona ſignificat, quę ex illa Dei miſericordia ad nos perueniunt. Illam vulgò vocant *gratiam gratis facientem*, hanc *gratis datam*. Iam verò beneuolentiam illam & fauorem, quo nos Dominus in Chriſto complectitur, noſtraq; peccata nobis remittit, & nos in gratiam recipit, in Deo collocamus: huius autem gratiæ effecta in nobis inſunt. Ea verò effecta ſunt, vt per Spiritum ſanctum à Deo nos amari ſentiamus, in Deum credamus, ſpemq; omnem ſalutis noſtram in illa Dei miſericordia reponamus. Non ergo vniuerſam gratiã ab homine abſtrahimus, atq; in Dei tantũ fauore collocamus: ſed primam illam Dei gratiam, qua

nos

nos in Christo sibi reconciliauit, quaq; salus nostra continetur, illam demum in Deo ponimus, quam â nobis perceptam fides, spes, charitas, cæteræq; virtutes consequũtur, quæ nostræ sunt, atque in nobis residẽt. Vestrum autem illud de infusa gratia ἀξίωμα, quo gratiam qua iustificamur, esse quẽdam habitum defenditis in intimis animis insidentẽ, auersamur: nullamq; aliam agnoscimus gratiam iustificantem, q̃ immensam Dei gratuitamq; misericordiam, qua nos ante omnem æternitatem electos in Christo atq; ad vitã sempiternam prædestinatos, in tempore vocauit, ac iustificauit. Infusa enim gratia, in qua regeneratio ac sanctificatio cõsistit, quamq; scriptura Nouum hominem appellat, nõ satis est ad nos iustificandos valida, quia legi diuinæ nunquã in hac vita satisfacit, & indies instaurari, atq; ad maiorem absolutionem aspirare debet. Sic enim Paulus ait, *Etsi externus homo noster corrumpitur, internus tamen renouatur quotidie:* quem locum Augustinus in ista causa sæpissimè vsurpauit. Vides ergo & quam gratiam in Deo collocemus, & quam in nostris cordibus infusam fateamur. Quod autem nos *latrare* dicis gratiam non esse satis ad resistendum sceleribus validam, in eo per nostra latera Paulum ipsum conaris sauciare, ad quem tua hæc contumelia redundauit. Etsi enim erat infusa gratia præditus, quanta quisquam alius, tamen se negat assequi posse, vt quod bonum est perficiat: facere enim non bonum, quod velit, sed quod nolit ma-

2. Cor. 4. 16

Rom. 7. 18. 19. 21. 23

malum: eiq; bonum facere cupienti malum adiacere: deniq; legem membrorum sic legi mentis rebellare, vt ipsum reddat legi peccati captiuum. Hinc potes quantas vires peccatum habeat cognoscere, cui ne ipse Apostolus, quantumuis gratia singulari donatus, sic planè resistere potuit, quin interdū & vinceretur & vinciretur, vt loquitur Augustinus. Si num ista de se dixerit Apostolus dubitas, Campiane, Augustinum malo quàm Tridentinos magistros, pessimos Apostoli interpretes, consulas. Quid tibi Dauidem, & reliquos partes commemorem, qui suis exemplis, quàm non sit facile peccato resistere, docuerunt?

Augustinus de verb. Apost. serm. 5. & alibi. Gal. 5. 17.

In eo verò tibi ipsi similis es, quod ais, Christum non aliter *apud nos gratia & veritate plenum dici, quàm quod ei pater mirandum in modum fauerit.* Obsecro, Campiane, vnde hoc colligere potuisti? Nonne Christum sic fuisse gratia plenum dicimus, vt ex eius plenitudine omnes hauserimus? Quis nostrûm vnquam in Christo gratiam fuisse immensam atque infinitam negauit? Non enim qui Christum sic fuisse plenum gratia dicunt, vt illum omnes Dei simul hominumq; incredibili fauore dignum indicarent, ij non modò Christum nō aliter gratia plenum fuisse affirmant, quàm quòd ei Deus mirum in modū fauerit, sed etiam Christi gratiam cumulatiorē prædicant. Nam & spiritus gratiam in Christo fuisse sine mensura vberrimam confitentur, & externam etiam quādam in Christo gratiam sic

Ioan. 3. 34.

eluxisse

eluxisse statuunt, vt eum cuncti amarent atq; à Deo amari perspicerent? Hoc Brentius, hoc Bucerus, hoc omnes nostri agnoscunt?

Quæres ergo, inquis, *iustitia est?* Respondes ipse tibi, *Relatio*. De predicamentis Aristotelicis si nobis litem intendis, sanè non veremur, quin philosophũ satis in hac causa propitium simus habituri. Neque enim si iustitia sit *Relatio*, actum erit de philosophia: esse qualitatem, tu nunquam vel ex prædicamentis, vel ex prima philosophia probabis. Tuæ verò Theologicæ virtutes, Fides, Spes, Charitas, à nobis nunquam vlla fuerunt iniuria violatæ: à vobis sic quidem tractãtur, vt iã non Theologicę, sed philosophicæ esse videantur. Quominus autẽ iustitiã nostram ex istis virtutibus concinnatũ esse statuamus, quemadmodũ tu contendis, id in causa est, quia nunquam ita sunt in hac vita perfectæ, vt legi Diuinæ penitus satisfaciant. legi autem satisfactum esse oportet, aut iusti esse nõ possumus. Non enim aliam Dominus iustitiam probat, quàm illam ipsam, quæ lege describitur, quã qui assequi non possunt, ij mortis æternæ rei pronunciantur. Itaq; si iusti, si salui, si ab horrenda execratione liberi esse volumus, quærenda est ea iustitia, qua nullam lex ipsa absolutiorem desiderare possit. Hanc verò vbi tãdem reperiemus? in nostris ne virtutibus, in nostra fide, in nostra charitate? at hæ infirmæ multis modis sunt, eaq; integritate carent, quam lex requirit, cui ; iustitiam proponit, fides enim inchoata est, & nobis semper pre-

De iustitia.

candum est vt ea auctior esse possit. Quod si
Rom.1.17 Luc.17.5 verò fides infirma sit, cæteræ virtutes, quæ ex fide nascuntur, perfectæ esse non possunt. Iustitia verò eiusmodi esse debet, vt ei nihil accedere omnino possit. Ex his efficitur non è nostris virtutibus concinnatam esse iustitiã, vt tu parum concinnè loqueris, sed petendã esse aliunde. Cum ergo nostra nulla virtus esset, quæ nobis iustitiam apud Dominum conciliaret, Christus nobis à Domino datus est, qui legi perfectam obedientiam præstaret, vt per illius obedientiam nos iusti redderemur. Hæc enim Christi obedientia nobis
Rom.5.10 imputata, & fide prehensa, illa est, quam queris, iustitia nostra, non nostris virtutibus, vt tu vis, exaggerata, sed in Christo constituta, qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia,
1.Cor.1.30 sanctificatio, redemptio. Atq; hæc nostra est iustitia, Christus ipse, cuius iustitia atq; innocentia nobis ascripta, peccatorum remissionem certam, veramq; iustitiam affert. Hanc Theologi primam vocant, quam deinceps altera consequitur, è tuis hisce virtutibus concinnata. Nam cum peccatorum remissione, quæ ex Christi obedientia pendet, fides, & spes, & charitas coniungitur, quæ nos iustos etiam aliquo modo faciunt, sed inchoatè, non absolutè.

Exposui tibi paucis nostrã de Iustitia sentẽtiã, quandoquidẽ ea cuiusmodi sit, queris, tuę
Esa.64.6 autẽ virtutes non ita possunt animam conuestire, vt nihil in ijs nudum appareat. omnes enim iustitię nostrę, panniculi instar sunt, non

modo

modò polluti, ſed etiam lacerati, multiſque partibus diſciſi. Chriſtus ipſe nobis *induendus eſt, vt in eo comperiamur, non habentes iuſtitiam noſtram quæ eſt ex lege, ſed eam quæ per fidem eſt Chriſti, nempe iuſtitiam ex Deo per fidem. Etenim erat Deus mundum ſibi reconcilians in Chriſto, non imputando eis peccata ipſorum.* Hoc veſtitu tectæ animæ eſſe debent, vt pulchræ ſint, & ſplendidè exornatæ. Neq; nos illius verbi pudet, in quo tu ludis, quando noſtram Iuſtitiam *delicti occultationem* eſſe dicimus. Sic enim propheta Dauid illum beatum hominem pronunciat, *cuius remiſſæ ſunt iniquitates, & cuius obtecta ſunt peccata.* Atq; hanc remiſsionem ſola fide apprehendimus: fides autem hæc non ficta eſt, non mortua, non auocata à cæteris virtutibus, non inanis bonorum operum, ſed eiuſmodi eſt, quæ per charitatem operatur. Fides ergo ſola eſt, quæ iuſtificat, hoc eſt, quæ Chriſti obedientiam, in qua noſtra iuſtitia conſiſtit, amplectitur, ſed tamen hæc fides, quæ iuſtificat, nunquam eſt ſola. Semper enim & ſpe & charitate comitata eſt, nec ab illis vnquam ſe patitur diſſociari. Nam vt ignis ardor ſolus lignum inflammat, nec tamen hic ardor ſolus eſt, ſed cum luce perpetuò coniunctus, ſic ſola per ſe fides iuſtificat, quanquam omnino ſola eſſe nunquam poteſt.

Rom. 13. 14. Philip. 3. 9. 2. Cor. 5. 19.

Pſal. 32. 1. Rom. 4. 6.

Gal. 5. 6.

Quandoquidē autem noſtra omnis iuſtitia ac fœlicitas in peccatorū remiſsione ſita eſt, hāc etiam docemus nobis certiſſimè perſuaſā ac cognitā eſſe oportere, vt ine a animi noſtri

tanquam in tutissimo & tranquillissimo portu conquiescant. Etenim fide iustificati *pacem habemus apud Deum per dominum nostrum Iesum Christum*. Ista autem pax quæ esse potuit, si ancipite spe, dubijsq; de salute nostra cogitationibus perpetuò distraheremur, & quasi fluctibus huc illucque iactaremur? Quanquam ergo multis sæpe conscientiæ nostræ terroribus oppugnantur, vt tam securæ esse in hac vita nequeant, ac si iam *interminato cœli gaudio* perfruamur, tamen hanc fidem oportere dicimus Dei promissis certissimè firmissimeque niti, vt omnem de gratia Dei nostra, adoptione ac salute, quoad nobis dominus dederit, hæsitationem expellamus. Vere enim fidei cum ἀπιστίᾳ conuenire non potest. huius est *Dei* promissionibus diffidere, illius dubitationem omnem, quantum fieri potest, imperare, ac profligare. Si vero fides plena sit dubitationis, quid illa demũ vincit ἀπιστίαν Credamus Apostolo, qui fidei veræ naturam & nouit optimè, & descripsit accuratè. Is nobis Abrahamũ proponit, in quo veræ fidei imaginem liceat illustrissimam cõtemplari. Quid ille? Num hæsit? nũ animo suspenso fuit? num dubitauit? Contra verò omnia: contra spem sub spe credidit: minimè imbecillis fide fuit: aduersus promissionẽ Dei nõ disceptauit infidelitate: robustus factus est fide: planè persuasum habuit, Deũ, quod promiserat, posse præstare. Atq; hæc fides illi pro iustitia est imputata. Fuit Abrahæ fides hæc: an erit nostra dispar? at ille pater est, nos filij, & patri filios simi-

Rom. 5. 1.

Rom. 4. 18

les esse oportet. Conclusum nunc est contra te Campiane, fide nos fieri de salute certos, tuamque variam ac plenam suspicione fidē, perfidiæ esse, quam fidei, similiorem. Præclarè Basilius. Τί ἴδιον πίστεως, ἀδιάκριτος πληροφορία. *Quid fidei*, inquit, *proprium est? Certa & dubitationis ac diceptationis expers persuasio.* Sed quid ego te antiquis testimonijs conuincā, quem ipse Catechismus Tridentinus refellit? *Credendi enim* inquit, *vox, vt docent sacræ literæ, certissimæ assensionis vim habet. Quamobrem is credit, cui aliquid sine vlla hæsitatione certum & persuasum est.* Credimus autem vitam æternā, ergo sine vlla hæsitatione certa nobis est ac persuasa. Nihil nunc amplius postulo: ipse me Tridentinus Catechismus, pontificis & consilij authoritate conscriptus, certum de salute esse docet oportere.

Basil. in

Catechis. Trident. in primum art. Symb.

At nondū acquiescis, & adhuc plura quęris? *Vnde enim*, inquis, *constare poterit de futura perseuerantia?* Id ex fide constabit, Campiane, quę si vera sit, caduca non est. Fidem Apostolus earum rerum, quæ sperantur, ὑπόστασιν appellat, & quæ non cernuntur, ἔλεγχον. Quomodo autē vel extant quę sperantur, vel demonstrantur, quę non cernuntur, si non sit perpetua fides. Qui verò fide hac imbuti sunt, ij nunc quodāmodo bonis ijs potiuntur, quę tamē adhuc sperātur, & contēplantur ea, quæ oculis humanis cōspici nequeūt. Ita nos fides adhuc viuos, atq; vt loquitur Apostolus, per fidē non per aspectum ambulantes, in ipsam cœlorū possessionē mittit, vt quia certi sum⁹

Hebr. 11. 1.

2. Cor. 5. 7.

ibi nos futuros aliquando, nunc in cœlis viuere, & versari quodammodo videamur. Hæc autem omnia fluxa essent, ac leuia, si posset fides non perseuerare. Itaque Paulus certissimè persuasum habuit, neque vitam, neque mortem, nec præsentia, nec futura, nec omnino quicquam in rerum natura *posse nos a Charitate Dei, quæ in Christo Iesu disiungere.*

Rom. 8. 38

Qui verò non perseuerant, ij certè disiunguntur: disiungi verò non possunt, ergo perseuerant. Atque hanc ob causam pignus nobis adoptionis nostræ datum est, ipse sanctus Spiritus, qui nobis certissimam fidem faciat esse nos Dei filios, vt iam Deum nostrum vocare patrem non dubitemus. Patrē verò quis illum ausit appellare, qui se putat posse eius non esse filium aliquando? Nam sanctis licet cum Apostolo profiteri, *Simus nos ei futuros esse similes.* Scientia certa est, atq; ex principijs certis constat: dubitare opinionis est, non scientiæ. Audi Cyprianum: *Mori planè timeat, sed qui ex aqua & spiritu non renatus gehennæ ignibus mancipatur, mori timeat, qui non Christi cruce & passione censetur.* Chrysostomus in hæc Apostoli verba, *in gratiam hanc in qua stamus*, sic scribit: *Dei gratia non habet finem, nescit terminum, sed & in maius proficit.* Et mox: *Non modò*, inquit, *de datis, sed & futuris perinde, atq; de datis*, τλυροφορεῖσθαι χρή. Augustinus: *Quia ergo*, inquit, *non secundum meritu nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, nemo debet cū trepidatione prædicare* (regnū Christi in sanctis suis) *vnde non potest dubitare.*

Calat. 4. 6.

1 Ioan. 3. 2.

Cyprian de mortal.

Chrysost. cap. 5. ad Rom.

August. in psal. 88.

Sed

Sed Auguſt. totus noſter eſt. Nã vt tu iãpridẽ liberũ arbit. Auguſt. probari cõcludebas, q̃ is libros de libero arbitrio tres ſcripſiſſet, ita ihi eodẽ modo argumentari licebit, de perſeuerantia ſic Auguſt. ſenſiſſe, vt nos, quia liber eſt vnus Auguſtini de Bono perſeuerantiæ. His Bernard. adiungam, cuius hæc aurea verba ſunt, *Turbatur conſcientia, ſed non perturbatur, quoniam vulnerum domini recordabor.* Plurã nõ perſequar. Fides aut eſt perpetua, aut eſt nulla: aut ad extremum ſpiritum perſeuerat, aut aura leuis eſt, quæ fides exiſtimatur. *Bernard. in Cantic. ſerm. 61.*

Quod autem de Luthero adiungis, quem ais affirmare, Chriſtianum etiam *volentem non poſſe ſalutem perdere, niſi nolit credere*, id Lutherus nunquam vel in illo libro, vel alibi vſquam affirmauit. Vt enim vniuerſa Lutheri ſcripta euoluas, quæ tu nec ſalutaſti, ac, credo, ne vidiſti quidem, hanc tamen ſententiam nuſquam reperias. Tridentini patres iſtam propoſitionem damnarunt, & meritò: eſt enim impia, atque in ſummis paradoxis numeranda. Sed illa cuiuſcunque fuit, Lutheri certè non fuit. At inquis, ita Lutherus ſcripſit in libro de Captiuitate Babylonica. Falſum. At quiddam tamen eiuſmodi. Dicam quid rei ſit, & verbo. Papiſtas Lutherus reprehendit, quòd Baptiſmi gratiam peccato penitus extingui ſenſerint, eoq; nouum ſacramentum, quo gratia Baptiſmi recuperetur, intulerint, Pœnitentiam, quam tabulam ſecundã nuncuparunt. Itaq; ſic Baptiſmi vim ac gratiã peccatis amitti poſſe ne-

gat, quin fide reparetur, id q̃ multis validisq; rationib⁹ euincit. Quod ergo Luther⁹ docuit Baptismi gratiã nõ amitti, nisi nolis credere, id patres Tridentini, nosterq; Campianus sic interpretantur, quasi id dixisset, quod illi obijciunt, Christianũ etiã volentem nõ posse salutis facere iacturam, nisi nolit credere. Quid pluribus insulsum commentum diluam?

De Sacramentis.

Festinas ad sacramenta. Et ego te festinantem insequar. Hic autem miserabiliter admodum exclamas, *Nullum, non deo, nouentum, ô sancte Christe, reliquerunt.* Christum tu ausis appellare, cuius sacramenta cum summa contumelia exterminatus ex ecclesia, vt vestra quæda impura atque infanda sacra inducerentis? Ea nos Sacramenta retinemus, quæ nobis Christus commendauit: pluribus si fuisset, opus plura reliquisset. Duo nobis sunt, Baptismus, Eucharistia: hæc Christus instituit, hæc vetus ecclesia agnouit, his recens ecclesia contenta esse debuit. Nam id plane constat, septem sacramentorum, quot vestra sunt, nullum antiquitatis vestigium reperiri. Septem habent, sancte Christe, & tamen nullum habet, quia tua non habent. Nam quæ tua non sunt, ea quidem nulla sunt. *Tyssorum panis, inquis, venenum est.* Quid vinum? at id omnino nullum apud vos populus degustat: credo, ne sibi venenum a vobis propinari existimet. Illum nos panem, illud vinum in Cœna dominica admouemus, quo Christus ipse nos vti iussit. Quod tradidit, accepimus: quod fecit facimus: in pane, in vino morte nostri redemp-

demptoris celebramus. hæc si fuerint salutifera, nostra non possunt esse mortifera.

Baptismus, ais, *etsi adhuc verus est, tamen ipsorum iudicio nihil est*. Verum esse baptismum nostrũ tute confiteris: accipio. Sed quamobrem verus est? quia sic baptizamus, quemadmodum Christus mandauit. Christi legem seruamus, vestras, nescio quas, sordes abiecimus. Similiter in altero sacramento fecimus, nec transuersum vnguem a Christi præcepto discessimus. Si verus est Baptismus, vera est Eucharistia. *At ipsorum iudicio*, inquis, *nihil est*. Quid ita? *Non est vnda salutaris, non est exhalis gratiæ, non Christi merita in nos deriuat, sed duntaxat est significatio salutis*. Ficta & falsa omnia. Nam & vndã salutare prædicamus, & gratiæ canalem agnoscimus, & in nos Christi merita deriuare non dubitamus. Neque enim salutem duntaxat significat, sed ijs re etiam præstat atque affert, qui baptismum recte & sancte adhibent. Etenim in baptismo peccatorum remissionem accipimus, in Christi familiam cooptamur, Spiritu sancto donamur, ad spem æternæ vitæ certissimam excitamur. Hæccine tibi nihili sunt, Campiane? nullus ne hic Baptismus erit, in quo tam multa, tamque eximia bona consequimur? At tuus cuiusmodi Baptismus est: aut quid omnino habet, quod habere noster debuit? Num gratiam? num Christi merita? num salutem? Et ista noster habet. Quid ergo deest, quo minus & nostro, & omnium iudicio verus sit? intelligo. Non confert gratiam ex opere ope-

operato. Magicum hoc quidem est, & pestiferum commentum, vt in aqua ipsa, tanquã in aluo, inclusam gratiam existimes, quæ se in homines fidei prorsus expertes infundat. Quid enim sine fide valet sacramentum, nisi ad exitium eius, qui Sacramentum precipit? Illud monstrum toto animo auersor atque execror. Adiungis, *Itaque nihilo pluris baptismum Christi, quàm Ioannis fecere cæremoniam.* Quid de Ioannis Baptismo patres iudicarint, non ignoro. Sed quid scriptura doceat, nõ quid illi suspicentur, attendo. Ceremonia eadem, doctrina eadem, gratia eadem fuit. Si quid in istis dissimile extiterit, nõ repugno, quin diuersum fuisse Ioannis, Christiq; Baptismum fatear. At Ioannes pœnitẽtiam, quæ fructus est veræ regenerationis, cum suo Baptismo coniunxit, & hunc Baptismum ad peccatorum remissionem obtulit. Si pœnitẽtia, & peccatorum remissione Ioannis Baptismus minimè caruit, non video quamobrẽ à Christi Baptismo tantopere alienus existimetur. Et quid est, quòd patres etiã ipsi quærunt, cur Christus, qui nulla regeneratione opus habuit, ad Ioannis Baptismum accesserit, nisi illius baptismum ad regenerationem valuisse iudicarint?

Mat. 3. 2. 11. Luc. 3. 3.

Quod autem attexis, *Si habeas, rectè: si careas nihil damni, crede salutis es antequam abluare*, non ita loquimur, vt tu fingis, dissolutè. Neque enim id in optione cuiusquã esse volumus, seu velit, seu nolit vti baptismo. Tamẽ minimè putamus esse Baptismũ ad salutẽ ἀπαλῶς, necessarium

sarium, vt qui non fuerit baptismo initiatus, ei sit perpetuò pereundum: nam Christiani hominis salus in Dei clementia consistit, quæ nullis sacramentis obstringitur atque alligatur, quominus sine illis seruare possit, quos perire nolit. Vbi Baptismi facultas non est, Dei sola promissio per se abūdè sufficit. Qui verò Baptismum vel negligit per incuriam, vel contemnit per audaciam, cum grandis sceleris damnamus. Nam & Christi maiestatem minuit, & suam salutem respuit. Qui neutrum admisit, culpam alienam non præstabit. Rectissima ergo illa fuit Bernardi sententia, *Sacramenti non priuationem, sed contemptionem esse exitialem.* Bernard. in ep. ad Hugon.

In his quæ consequuntur de paruulis, tricaris scilicet. Neq; enim vel ipse quicquam de tuis explicas, vel potes aliquid de nostris reprehendere. Cupio autem de fide paruulorum, quid ipse sentias, cognoscere. Gratiam, opinor, illis concedes: Baptismus enim, inquis, gratiam confert. An fidem non dabis? Ergo id velim doceas, vt me penitus in tuam sententiam pertrahas, esse aliquam in nobis gratiam fide antiquiorem. *At quomodo* inquis, *credant, qui viuant, nec ne, nondum intelligunt?* Num ergo non viuunt, quia se viuere nō intelligunt? Absurdū. Quare se viuunt, etsi id ipsi non intelligūt: forsan etiā credūt quamuis hoc non sentiūt. *Durum*, inquis: Esto. neq; enim hæc à me dicuntur quòd ita prorsus esse statuam, sed quò tuum iudicium eliciam, quod nostri Academici scilicet magni faciūt.

Sed

Sed Lutheri pharmacum audiamus; *præstat*, inquit, *omittere, quandoquidem nisi credat infans, nequicquam lauatur*. Hoc verò pharmacum è tua, non Lutheri, prodijt officina. Et quidem eiusmodi nobis pharmaca multa obtulisti, insuauia admodum, & pessimè condita: *vt totum illud tuum* [illegible] corruptum planè videatur. Lutherus verò nunquam fuisse, vt Baptismus omitteretur, & in eam partem semper vehemens fuit, vt paruulis Baptismus daretur: quo cū magis iniquus hoc loco fuisti, qui Lutheri sententiam tuis pharmacis inficere voluisti. Hæc enim sic à te proferuntur, quasi dixerit Lutherus præstare omitti baptismum. Ipsum ergo Lutherum audiamus, Campiani pharmacum missum faciamus. *Nec tamen, inquit, negamus paruulos esse baptizandos, nec asseruimus eos baptismum accipere sine fide: sed dicimus, ut baptismum eos credere per eum verbi. Adiungit, Aliquis mentis et intolerabilia essent mendacia, quando baptizans à paruulo quærit, vt credat: non baptizaretur, nisi vice eius respondeatur, credo. Et quid interrogat an credat, si certum est eos non credere, vt Cocleus contendit?* Tum ita concludit: *Quin asserimus, Paruulos prorsus non esse baptizandos, si verum est eos in Baptismo non credere.* Id ergo Lutherus contendit, id statuit, Paruulos omnino credere, & papistas reprehendit, quod pugnantia doceant, *dum negant paruulo esse fidem, & tamen, vt baptizari possit, exigunt ab eo fidem.* Quis non videt, quo ista referantur, vt eum esse vehementer malitiosum sit necesse,

Bernard. in ep. ad Hugon.

Luther. aduersus Cocleam.

qui

qui Lutherum his verbis tam impiæ sententiæ suasorem faciat?

Atq; hæc illi, inquis, *anticipites animo, quidnã enuncient categoricè*. Vt de fide paruulorum aliqui duqitent, tamen esse baptizandos clarè & Categoricè omnes pronunciamus. Itaq; nihil opus erat vt illum Pacimontanum diribitorem accerseres, qui multò semper fuit in vestras quam nostras partes propensior. Anabaptistas verò quorsum nobis obijcias, qui nos multò, quam vosipsos vehemẽtiùs oderunt, nec injuria? Nos enim illos & tanquam hæreticos argumentis reuicimus, & vt homines seditiosos ac perniciosos è nostris rebus publicis expulimus, qui nisi vobiscum habitarent, locum in orbe Christiano consistendi nullũ reperirent. Reliqua sacramẽta prætermittis, quæ quidem ego nulla agnosco: nec quænam ea ôt bestia multiceps intelligo, cuius meministi, nisi forte illam tuam tricipitẽ belluam significas, de qua tam multa Ioannes scripsit in Apocalypsi.

Hucusq; nostrorum hominũ dogmata quędam & θεορήματα examinasti Campiane: in quib⁹ vniuersis nullũ adhuc παράδοξον reperisti. Aut enim eiusmodi sũt ista, quę obijcis, vt ijs nihil veri⁹ esse possit, aut callidè à te ac perfidiosè in sensum peruersum detorquẽtur. Iã verò quasi nouus aliquis cẽsor esses, veterisq; disciplinę ac seueritatis magister, in mores nostros inquiris, nõ, opinor, vt eos efficias meliores, sed vt, multò q̃ sunt, videri facias improbiores. Quanq̃ qui mores aliorum reprehẽdit, *Demoribus.*

dit, æquum fuit ipsum esse à culpa alienum. Eáne verò facta est repentè Romæ mutatio, ea nunc vita, ij mores esse cæperunt, vt inde reuersus in patriam Monachus nobiscũ auderes de virtute, de pudore, de honestate cõtendere? Et si hîc multa fiunt, quæ minimè debent, tamen si tantam in Anglia scelerum impunitatem atque licentiam esse dixeris, quantam ipse vidisti Romæ, in arce religionis regniq; vestri, omnes te nimis impudentẽ iudicarint. Quid ergo nobis illa Lutheri, quæ vocas, frusta proponis, quando apud vos nõ vitiorum quædam fragmenta, sed immania maximorum scelerũ corpora conspiciantur? Stantibus certè verò Romę publicis illis lupanaribus, scortorũq; lustris, morum facere mentionẽ vix honestè potuisti. Sed quænam ista sunt Lutheri frusta? Num quod eius in vita crimen reprehendis? Id verò nec potes, nec conaris. Dicta quędam obiectas è libris arrepta, atque, vt soles, à reliquo dictionis corpore discerpta, quæ statim, vti sunt à te proposita, turpitudinẽ nonnullũ indicare videantur. De quibus plerisque cum esset tibi iampridẽ ab eo, quẽtu nominas, ornatissimo Charco respõsum, miror hîc denuo eadem te nobis retulisse. Necesse est magnam esse verorum criminum penuriam, quando ne falsorum quidem vllam hebes varietatẽ. Quandoquidẽ autẽ meus ille in Christo σύμμαχος & συμμύστης Guilielmus Charcus in istis diligenter elaborauit, quæ ab illo satis copiosè diluuntur, à me nunc breuiter, strictimq; decur-

decurrentur. Mihi ergo satis erit frusta hæc tua concidisse, quæ iam antè sic confracta sunt, vt nocere nemini posse viderentur.

Quare nunc eiiome tua hæc conuiciorum frusta. Audite verò. *Si volit vxor, aut non possit, veniat ancilla.* Dictum, vt videtur, turpe atque impudicum. Sed me nùc vicissim audite patienter. Scripsit de Matrimonio libellum Lutherus, cuius in secunda parte causas tres commemorat, quibus dissolui coniugiũ posse arbitratur. prima est Impotentia: altera, adulterium: poltrema, Desertio. Desertionem autem interpretatur, quando vxor pertinax & obstinata induci nullo modo potest, vt debitum beneuolentiæ officium viro persoluat. Aliquas enim tam importunas vxores reperiri, vt quanquam maritus decies in libidinem prolaberetur, id tamen minimè curarent. Quare Lutherus id viro opportunum esse putat, vt vxorem verbis terreat, eiq; isto modo minitetur: *Si tu nolueris, alia volet: si Domina nolit, adueniat ancilla.* Quæ si minæ parum valent, apud alios ipsam accuset, & rem ad ecclesiam deferat. Iam verò si nec priuatis comminationibus, nec publicis ecclesiæ reprehensionibus commouetur, tum, Lutherus inquit, *repudia eam, & in vicem Vasti, Ester surroga.* Hæc isto modo proposuisse, est Campiani calumniam luculentissimè diluisse. Quis enim non animaduertit quid consilij marito Lutherus dederit, non vt mox ancillam sumeret, sed vt vxori peruicaci minas Diuortij proponeret, eiusq; spiritus illo modo

Lutherus de Matrim.

do frangeret. Lutheri autem istam de hoc diuortij genere sentētiam etsi ego minimè defendo, tu tamen non potes accusare. Nam apud vos causæ sunt diuortij infinitæ, vt in tanta Diuortiorum licentia mirum sit coniugium vllum valuisse. Si quid vnquam Lutherus eiusmodi scripsisset, quale scriptum a Clemente legimus, quem vos fuisse pontificem Romanū iactatis, quas demum tragœdias egissetis? Audi enim Cāpiane, & quorsum hæc oratio spectet, attende. *Communis vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit: sed per iniquitatem alius hoc suum esse dixit & alius istud, & sic inter mortales facta diuisio est. Denique Græcorum quidam sapientissimus, hæc ita sciens esse, ait communia debere esse amicorum omnia. in omnibus autem sunt sine dubio & coniuges.* Platonem aliquem de rerum communitate disputantem audire videaris: profer aliquod Lutheri simile dictum. Quid deinde in tuis frustis consequitur? *Siquidem res vxoria tam est cuique necessaria, quam esca, potus, somnus.* Iubet Apostolus, *vt quisque propter fornicationes suam vxorem habeat, & suum quæque virum: & qui se non continent, ij matrimonium contrahant.* Quibus ergo datum non est diuinitus, vt possunt vxoribus perpetuò carere, ijs certè necessarium est, vt vxores ducant si honesti esse castiq; volunt. Nam ijs id minimè necessarium esse fateor, quibus licet impunè in omni genere turpitudinis ac libidinis volutari. Sed perge. *Matrimoniū est virginitate multò præstantius. Eam Paulus homini-*

Clemens. epist. 5.

1. Cor. 7. 2. 9

bus

bus Christianis dissuaserunt. Non omnibus eadem conueniunt: quæq; huic commodissima sunt, ea possunt esse alterius rationibus aliena. Virginitas est ἐκ τῶν μέσων, quæ perinde sunt, atque ijs vtare. Non enim ἁπλῶς bona est, (tum enim nefas esset, omnino de nuptijs cogitare) sed κατάτι. Sic ergo habet: Qui possunt castitatem virginalem perpetuò conseruare: ijs virginitas expetenda est, non omnino, sed propter molestias illas, quæ matrimonium plerumque consequuntur: qui verò id præstare nequeunt, his coniungendæ nuptiæ sunt, sic planè vt si aliter fecerint, magno se peccato obstrinxerint. Ita cōiugio virginitas nunquam nisi κατάτι, virginitati coniugium ἁπλῶς sæpenumero præstat. Nos qui dē de vitæ vtroq; hoc genere sentimus honorificè: vobis virginitas ornata est, matrimonium abiectū. Rectè Basilius ἡ παρθενία τιμηθῇ, ὁ γάμος μὴ φωλισθῇ. Mallem a vobis virginitatem factis esse comprobatam, q̄ verbis laudatam. *Quid lingua personat castitatē, & totū corpus præfert impudicitiam?* Sic n. facitis, quem admodū de Origenianis scribit Epiphanius: *Repudiatis nuptias, sed non libidinem: in honore n. apud vos est non sanctitas, sed hypocrysis*. Neq; eam vel Christus, vel Paulus cuiquam imperauit, qui illam in sese recipere minimè posset. *Non enim*, vt inquit Bernardus, *virginitas iussa est, sed admonita*. Imo iussi sunt, qui se continere nequeunt, vt matrimonium cōtrahant. Quare his Apostolus nō modò censuit virginitatem esse seruandam, verùm etiam dissuasisset, si

Basil.

Hieron. ad Furiam.

Bernard. de Virgin. ser. 21

1. Cor. 7. 9

Christus suasisset. Atq; hæc certè Lutheri propria nō sunt: ea enim omnes boni & agnoscunt, & defendunt.

Sed audiamus cætera: *Quanto sceleratior es*, inquit, *tanto vicinior gratiæ*. Christi gratia nō exiguis tantum peccatis suffisit, sed etiam maximis; nec ij solummodo à Christo, vt ad ipsum veniant, inuitantur, sed qui etiam peccatorum oneri succumbunt. Non hortatur Lutherus, vt in scelere pergas, sed vt veniam ne desperes. Et quidem quanto improbior in vita anteacta extitisti, tanto te, si verè scelerum pœniteat, vberior gratia complectetur. *Vbi enim peccatum abundauit, superabundauit gratia.* Si Lutherum damnas, quis Paulum à te putabit absolutum? Lis enim eadem est, idem iudicium. Quid sequitur? *Omnes actiones bonæ peccata sunt, Deo iudice, mortifera, Deo propitio leuiuscula.* Dixit hoc Lutherus, & verè dixit. In omni enim hominis actione, quantumuis excellente, aliquid vitij inest, quod ipsam actionem penitus corrumpat, Deoque odiosam reddat, si quod agitur, Diuinæ iustitiæ statera examinetur. At postquam Dominus nos totos in Christo complexus est, quæ sunt in nobis inchoata, maculisque nonnullis conspersa, ei tamen placent, vt integra ac pura, quia personas ipsas intuetur, non operum dignitatem meritumque explorat. Hæc Lutherus & sacrarum literarum, & sanctorum patrum sententijs confirmauit: quas tu facilius multò prætermittere, quàm diluere potuisti. Progredere,

Ro. 5. 20

emo,

Nemo malum ſuapte voluntate cogitat. Odioſè, vt omnia. Nulli Deus cogitationem malam inijcit, nullius voluntatem ad vitium impellit. Tamen nihil caſu fit, nihil fortuitò: & in ipſis etiam hominum peccatis Diuina prouidentia dominatur. Quæ hominum malæ ſunt cogitationes, ex inſita quadam & propria cuiuſque malitia naſcuntur: & tamen illas Dominus ad ſuam voluntatem accommodare poteſt. Ita enim Ioſephus ſuis fratribus reſpondet, *vos quidem cogitauiſtis contra me malum, ſed Deus cogitauit illud in bonum*. Gen. 50. 20

Nunc adiungis, *Decalogus nihil ad Chriſtianos. Opera noſtra Deus nequaquam curat*. De decalogo, atq; operibus ſic tibi paucis reſpondeo. Lege antiquum fœdus continetur. *Hæc fac & viues: Maledictus qui non permanet in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea*, Vitam lex ijs promittit, qui legi per omnia paruerunt, qui aliquid offenderint, ijs mortem atq; interitum denunciat. Conditio dura, & cui nunquam poſsit ab homine quoquam ſatisfieri. Chriſtus conditionem nobis aliam multò faciliorem proponit, *Crede, & ſaluus eris*. Hoc noſtro fœdere vetus abrogatur, vt quiſquis Euangelio crediderit, legis conditione ſoluatur. Nam qui credunt, ij nō ſub lege ſunt, ſed ſub gratia. Quid plura? Chriſtiani execratione legis liberantur, non obedientia. Opera autem noſtra curat quidem deus: eaq; ſi recta ſunt, præmijs ornat: ſi contraria, pœnis digna iudicat. Verùm in nobis iuſtificandis nullam omnino Domini operū noſtrorū rationē habet Gal. 3. 10 Mar. 16. 16 Gal. 5. 18. 23 Rom. 6. 14

Abac. 1.4 bet. Iustus enim non ex operibus, sed ex fide sua viuit. Persequere. *Soli recte participant cœna Dominica, qui tristes, afflictas, confusas apportant conscientias.* Ita quidem est. Non enim recte participant qui suis confisi meritis audaciores accedunt, sed qui peccatorum magnitudine oppressi, cupiunt alleuari. Nam qui valetudine firma sunt, medicum non desiderãt. Spiritus fractus & contusus victima est Deo gratissima. Quare qui maximo peccatorum

Psal. 32.19 suorum sensu & dolore afficiuntur, ijs ille cibus cælestis semper esse solet salubertimus.

Deus bone, quis vnquam fore credidisset, vt ista quisquam Christianus improbaret? Num quid aliud est? *Confitenda sunt crimina, sed cuilibet, qui se vel ioco absolverit, modò credideris absolutus es.* Quid ni? Neque enim est necesse, vel digitis peccata metiri, vel sacrificiii, aut vt monachum aliquem tui similem adhibere. Alij alijs peccata possumus cõfiteri, vt monachis posthac liceat esse otiosis. Quisquis autẽ remissa sibi peccata esse credit,

Iacob. 5.16 1. Ioan. 1.9 eum ipsa fides absoluit, siue ioco, sine serio fuerit absolutus.

Festina. *Legere preces horarias non est sacerdotum, Sed Laicorum.* Quid vestri sacerdotes agant, aut quid omnino sibi agendum esse censeant, meã nihil interest. legant, precentur, missas conficiant, bibant, ludant, deniq; semper sibi similes sint. Euangelij ministrum oportet, non ad clepsydram precatiunculas quasdam recitare, atque in illis suis Horarũ spacijs perpetuò deambulare, sed lectioni, exhortationi, doctrinæ operã assiduã

dare:

dare: quam vestri sacerdotes semper à se alie- 1. Tim. 4. 13
nam existimarunt; litæ autem preces horariæ etsi sacrificulis vestris non malè conueniunt, qui nisi tempus hoc modo fallerent, è ganeis & popinis nunquam exirent, tamè homine Christiano propter illam infinitam superstitionem prorsus indignæ sunt. Accipiamus reliqua. *Christiani liberi sunt à statutis hominum*. Nũquam id Luthero venit in mentẽ, vt magistratus authoritatem cõuelleret, quam ille ẽper contra Anabaptistas studiosissime defendit. Liberi Christiani sunt non vt nullis legibus obtemperent, sibique semperviuant, sed vt conscientias mentesque suas legum humanarum religione liberatas esse intelligant. Romanus pontifex hominũ Christianorũ conscientias suis decretis placitisq; obstrinxit, & quasi laqueũ quendam illorum animis iniecit, vt se nõ minus Põtificis sanctionibus, quã Christi præceptis astrictos existimarint. Itaq; libertatem Christianam Lutherus prauis opinionibus implicatam in eum statum vindicat, in quo illam Christus esse voluit, vt illum solum conscientiæ nostræ dominum agnoscamus, hominum decretis libera cõscientia pareamus. Peruenimus tandem ad huius lacunæ fundũ, quam etsi sedulò commosti, nullum tamen nostrũ vel Paradoxum, vel paradoxi frustum reperisti. Ego nunc si vellẽ tuorum impurissimas lacunas pauliper perscrutari, vt quid de Deo, de Prouidẽtia Dei, de Prædestinatione, de Christi persona & officijs, de Peccato originis, de Lege, de Iustitia, de

Sacramentis, de Purgatorio, de Pontifice Romano, de reliquis in religione maximis controuersijs affirmarint, commemorare, quot plausta Paradoxis complerem, quibus nihil horribilius dici posset aut cogitari? Sed præstat istã nunc non mouere Camerinã: & alias hisce de rebus (spero) dicẽdi dabitur occasio.

Quod autem Lutheranos cum Zuinglianis coniungere voluisti, in eo nos quidem nequaquam offendisti. Nam & Lutherum libenter vt patrem veneramur, & illos vt fratres in Christo charissimos amplectimur. Et quidem speramus fore, vt hac controuersia, quæ inter nos est, tandem cõstituta, coniunctis animis studijsque cõmunem hostem aggrediamur. De te ipso verò quod profiteris, facilè quidẽ inducor vt verũ esse credã, id tu siue ex animo loquaris, siue simulatè. Nam quid (quæso) attulisti, vnde te non rhetorem potiùs aliquem, & declamatorem de ludo, quàm doctum atque exercitatum Theologum existimemus? Tu quiesce, si sapis, Campiane: non enim potes, mihi crede, huius dimicationis vim atque impetum sustinere: illi selecti & veterani milites in acie versentur, qui te multò sunt, si non ad lacessendum audaciores, tamen ad declinandos ictus cautiores, & ad omnem belli disciplinam peritiores. Cum his qui manus conserant, multos habet vtraq; Academia, viros præstantes, & nunquam excellentes Theologos, qui cum fractis Antichristi copiolis bellum perpetuum gerant, spero defuturos.

Edm. Campianus.

SOPHISMATA.

SCITVM est inter cæcos luscum regnare posse. Apud rudes valet sæpe fucata disputio, quam schola philosophorum exsibilat. Multa * peccat aduersarius in hoc genere: sed quatuor fallacijs plerunque consuitur, quas in Academia malim, quam in triuio retexere.

Nona ratio.

*Falsum: nullũ potes nostrum sophisma proferre: & ista, quæ commemoras, vestra sunt, non nostra.

Skiamachia.

Primum vitium, Skiamachia est, quæ auras & vmbras magno conatu diuerberat. Hoc pacto. Contra cœlibes * iuratos & votos in castimoniam, quòd nuptiæ bonæ sint, virginitas melior: asseruntur scripturæ loquentes * honorificè de coniugio.

1. Cor. 7.

Quem feriunt? contra * meritum hominis Christiani, tinctum Christi sanguine, alioqui nullum, promuntur testimonia, quibus iubemur, nec naturæ, nec legi, sed sanguini Christi fidere. Quem refellunt? In eos qui colunt cœlites, vt famulos Christi maximè gratiosos, citantur integræ pagellæ, quæ vetant * colere multos Deos. Vbinam sunt? Huiusmodi argumentis quæ apud hæreticos infinita reperio, nobis esse detrimento non poterunt, vobis esse fastidio poterunt.

*Ista iuramenta & vota contra scripturas suscepta sunt.

*Coniugium honorificum est in omni genere hominum ergo in Ministris.

*Omnia sunt debita, ergo nulla sunt merita.

Logomachia.

Aliud vitium Logomachia est, quæ sensa deserens, loquaciter cum verbo litigat. Inuenias mihi missam, inquiunt, aut purgatorium in scripturis. Quid ergò? * Trinitas, Homoousios, Persona, nusquam sunt in Biblijs, quia voces istæ non sunt? Affine est huic peccato, literarum aucupium, quam neglecta consuetudine & mente loquentium, quæ vita vocabuli est, aduersus elementa contenditur. Nempe sic aiunt: Præsbyter, nihil est Græcis aliud, nisi senior. Sacramentum, quoduis mysterium.

*Qui multos cœlites colunt, multos Deos colunt: Papistæ multos cœlites colunt: ergo.

*Ineptissima & iniquissima cõparatio.

Cæterum acutè D. Thomas, vt omnia, In vocibus, inquit, videndum, non tam ex quo, quàm ad quid sumantur.

Tertium, Homonymia *est*, *longè latequè patens*. *Vt*: Quorsum ordo * sacerdotum, cum Ioannes omnes nos vocauerit sacerdotes? *Etiam hoc addidit*, Regnabimus super terrã. *Quorsum ergo Reges? Item*: Propheta celebrat ieiunium spiritale, hoc est, ab inueteratis criminibus abstinentiam. Valeat ergo * ciborũ delectus & dierum præscriptio. *Siccine? Igitur insanierunt Moyses, Dauid, Helias, Baptistes, Apostoli, qui biduo, triduo, vel hebdomadis inediam terminarunt, quæ quidem, vt à crimine debebat esse perpetua. Hoc quale sit iam vidistis. Propero.* Homonymia. Apoc. 5 Esai. 48

Quartum his adijcitur, Circulatio. In hunc modum: Da mihi notas, inquam, Ecclesiæ. Verbũ Dei & putissima Sacramenta. *Hæccine sunt apud vos?* Quis dubitet. *Ego verò pernego.* Consule verbum Dei. *Iam * consului, minusq; vobis, quàm ante, faueo.* Ali, tamen planum est. *Proba mihi.* Quia nos ne latum quidem vnguem discedimus à verbo Dei. *Vbi est acumen tuum? sepernè capies pro argumento, illud ipsum quod ponitur in quæstione? Quoties hoc iam inculco? Non tu euigilas? Num faces admouendæ sunt? Dico à te perperam exponi verbum Dei: testes habeo quindecim ætates: sta sententia, nõ mea, non tua, sed harum omnium.* Stabo sententiæ verbi Dei: Spiritus vbi vult, spirat. *Eccum, quos gyros, quas rotas fabricat? Hic nugator, tot verborum atque sophismatum architectus, nescio cui formidolosus esse queat, molestus erit fortasse. Molestiam vestra prudentia subleuabit, formidinem res eripuit.* Circulatio Ioan. 3

* Nulla hic homonymia: nam nulli nunc sunt in ecclesia christiana sacerdotes.

* Ieiunium Cãpianus in ciborum delectu, & dierum præscriptione constituit. Iudaicum.

* Si verbum Dei consuleres, facilè ita esse perspiceres at tu Romanam ecclesiam, non verbum consulis

Guiliel. Whitakerus.

SCitũ est Sophistas de fallacijs conqueri, & qui toti estis ex fraude, mẽdacijs, imposturis

cõflati, nobis σοφιστικὴν exprobare. Vestra omnis Theologia, quam ingenuam ac simplicẽ esse oportuit sine luco & fraude, in spinosum Scholasticè, Sophisticeq; disputandi artificiũ iamdudum degenerauit. Postquam enim ex ecclesijs veram Theologiam sustulistis, & tanquam ab hominum oculis lucem remouistis, tum demum in Scholis Sophismata iactare, atque inter cæcos lusci regnare cœpistis. Hinc illa Sophistarũ infinita manus extitit, qui se aculeatis sophismatis, tãquam mutuis vulneribus ipsi peremerunt, vt qui fallaces ac captiosas conclusiunculas optimè calleret, is cæcorum luscorumq; Theologastrorum rex aliquis aut Deus haberetur. Atque hæc spes inter cæcos tam multos regnãdi vobis Iesuitis stimulos admouit, vt in hanc artẽ tam diligenter incũberetis, omnesq; antiquos Sophistas ipsi recèns nati malitia, fraudeq; vinceretis. Si fuit enim aliquod vnquam lippientiũ in recæcos regnum, id nunc certè totum ad vos deuolutum est, quibus Monachi ac Fraterculi superiores, quia vos aliquid viderè putant, palmã libẽter deferunt. Agite verò egregij Sophistæ, quodq; nacti estis imperiũ Sophisticũ sedulò administrate, ne qui deinceps vobis decus hoc præripere fortè videantur. Breui enim noua aliqua succrescet familia sectaq; Sophistarũ, quę, nisi cauetis, vobis extrusis tandẽ atq; è loco exturbatis, istum scholæ sophisticæ principatum occupabit, quẽ vos aliquot iam annis tenuistis. Nec enim certè nata ex captiunculis verborumq; pręsti-

prestigijs regna esse possunt diuturna. Cum ergo vestra hęc omnis noue disciplinæ formula in mędacijs exornādis, & vetere Sophistica interpolanda versetur, equidē nō dubito, quin quæ nuper admodum exorta est, breuē quoq; interitū sit habitura. Quandoquidē autem nostra quędā Sophismata cōmemoras, tuisq; persuasum esse vis, multiplicem à nobis sophisticam adhiberi, antequā ad hæc tua, quæ obijcis, respondeo, pauca placet de vestris notissimis Paralogismis, & sophisticis Elenchis degustare, vt sophistæ vtri nostrūm sint verius nominādi, ipsa schola atque Academia dijudicet, in qua tu ista malis, quàm in triuio pertractari. Hanc ego philosophorum scholā, hanc Academiā Theologorum appello, omnesq; obtestor, qui sunt vel Theologicis vel Dialecticis imbuti, quiq; vllam vnquā eruditā scholam viderunt, vt vestra hæc quō admodum concluſa sint, attendant, eaq; ad leges rectē vereq; differendi exigant.

Inde autem potissimum sumam principium vnde tute exorsus es. Euangelij ministris ac diaconis matrimonium permissum esse defendimus: argumenta, quibus id confirmamus, rides. Quare, quæ contra sint à vestris allata, consideremus. Innocentius Papa secundus aduersus istas nuptias hoc modo diuinitus cōcludit: Qui in carne sua Deo placere nō possunt. Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum. Sancti estote, quoniā ego sanctus sum, Dominus Deus vester. Et quodā Paul⁹ coniugibus,

Dist. 82. Propositi.

Rom. 8. 8. Tit. 1. 15

iugibus permittit, seorsum vt possint ad tẽpus cubitare, quò ieiunijs precibusq; cẽmodiùs vacent, ex eo colligit pontifex hoc ipsum sacerdotibus multò magis esse faciẽdũ, quorum est perpetuò precari, atq; illud iuge sacrificium offerre. Postremò cum ipsi tẽplũ Domini, spiritusq; sacrarium esse debeant, nõ oportet cubilibus & immunditijs inseruire. Ex his nunc vniuersis id efficit, quod proposuit, Diaconis & presbyteris ne ducãt vxores planè interdictum esse. Hæc si absurdè disseruntur, audiamus alia. Singulis gregibus singuli pastores præsunt, ergo Papam oportet omnibus ecclesijs dominari. Petro Christus dixit, Pasce oues meas, ergo Petrus est summus ac princeps pastor ecclesiæ. Fecit Dominus duo magna luminaria, Solem ac Lunam: ergo Papa imperatorem splendore ac magnitudine superat. Hîc sunt duo gladij, ergo Papa vtrumq; gladium gestare debet. Nõ est seruus supra magistrum suum: ergo nulli fas est Papã accusare, aut reprehẽdere. Christus precatus est, vt petri fides nõ deficeret: ergo Papa errare nõ potest. Populus ad cœnã Dominicã rarò & negligenter accedit: ergo sacerdos potest priuatam Missam celebrare. Christus solos Apostolos adhibuit ad cœnã: ergo soli sacerdotes debẽt integrũ sacramẽtum percipere, populum altera dũtaxat parte contentum esse oportet. Titulus, quem cruci Pilatus affixit, Hebraicè, Græcè Latinè inscriptus est: ergo preces ecclesiasticæ nullo sermone nisi vel Hebraico, vel Græco, vel

Distinct. 11 Tenere.

Dist. 28. Decernimus.

Hardingus, & Dormannus, & alij.

vel Latino recitandæ sunt. Nō oportet, quod sanctum est, dari canibus: ergo populus à scripturis legendis prohiberi debet. Hoc est corpus meum: ergo panis in corpus Christi cōuertitur. Adorate scabellum pedū ipsius: ergo sacramentum adorandum est. Deus nō est προσωπολήπτης: ergo neminem designat ad vitam æternam, nisi meritorum ratione. Vngi ægros Iacobus iubet: ergo nobis nunc ægri perungēdi sunt. Sacramentū hoc magnum est: ergo Matrimonium est sacramētū. Elias & Ioannes in solitudine vixerunt: ergo Monachorum vitam ac disciplinam instituerunt. Sunt peccata septem mortalia: ergo sunt septem numero sacramenta. Deus cōdidit hominem iuxta imaginem suam: ergo imagines in templis collocandæ sunt. Harum maxima charitas est: ergo nos charitate magis: quam fide iustificamur. Vadam, inquit Dominus, ad locum meum, donec ponant in corde suo, & quærāt faciem meam: quæ quidem εἰρωνικῶς & μυκτικῶς dixit: ergo homines suapte voluntate atq; ingenio possunt ad Dominum reuerti. Multa Dominus præcipit vt faciamus: ergo ea possūt à nobis præstari. Christus descendit ad Inferos: ergo Patres è Limbo extraxit. Ecclesia scripturas dijudicat: ergo ecclesiæ maior est, quàm scripturarum authoritas. Iubet Paulus Thessalonicenses, vt Traditiones teneant, quas fuerāt edocti: ergo non omnia, quæ sunt ad salutem necessaria, literis prodita sunt. Ipse seruabitur, ita tamen vt per ignē: ergo per ignē purga-

Hardingus.

Pighius. 4.

Osea. 5. 14

2. Thessal. 2. 15

purgatorium ad vitam peruenitur. Quid alia tepetā huius generis infinita? Tua audiamus q ædā, Campiane. Augustinus scripsit libros tres de libero arbitrio: Ergo Augustinus liberum hominis arbitrium comprobauit. Christus aliquid ignorauit: ergo Christus peccato laborauit. Patres scripturas diligenter perscrutati sunt: ergo nūquam licet à Patribus dissentiri. Hæc à me breuiter in cumulū congesta sunt: quæ cuiusmodi sint, nostri Academici facilè perspiciunt. An ista agnoscis vestra Campiane, tā sophistica, tā σοφιλογικὰ tam plena fraudis ac falliciarū? Miserū est negare non posse, quod si fateris, peristi. Quam enim ista concludunt improbè, aut παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν aut παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως aut παρὰ τὸ ὑπόμενον aut παρὰ τὴν ἄγνοιαν τοῦ ἐλέγχου, aut denique omnino sophistice. Hæc delibasse satis est: nunc ad tua veniō.

Quatuor capita sunt, in quibus potissimū nostram σοφιστικὴν versari dicis: *Sciamachia, Logomachia, Homonymia, Circulatio*. In his quēadmodum à nobis peccari soleat, videamus. *Sciamachian* primum definis, deinde exempla subiungis: Definitionem non reprehendo, ad exempla propero. *Contra cœlebes iurates*, inquis, *afferuntur scripturæ loquentes honorificè de coniugio. Quem feriunt?* Te quidem Campiane, tuosque illos præclaros pontifices, qui legem primæ perpetuæ Virginitatis ministris Euangelicis iniecerunt. Si enim honorificè de nuptijs scripturæ loquuntur, defendi Syricius, atque Innocentius secundus, cæteriq; Sciamachia.

terique tui virginalis vitæ vindices nullo modo possunt, quos de coniugio multa abiectè, contumeliosè, nefariè loquutos esse constat. Recognosce voces illas, quas paulo priùs de Iure vestro sumptas descripsi: eas, si potes, nega cùm per se inhonestas esse, tum in nuptias insignitèr iniuriosas. Equidem verò si Saturnilium, si Seuerum, si Tatianum, si Encratitas atque Archonticos hæ scripturæ feriunt: vos quoque grauissimè perstringant est necesse, qui de nuptijs nihilo quàm illi honorificentius aut sentire aut loqui soletis. Doce enim Campiane, illa probra quanto magis Ministrorum, quam reliquorum hominum Nuptias attingant. Ita & vos in hæreticorum castra palàm transijstis, & hæ scripturæ quæ de nuptijs tam magnificè prædicant, vestram hæresin redarguunt, & vobis καίριον πληγὴν infligunt. Sic enim nostrum argumentum constringo fortiùs: Si Nuptiæ sint in quouis hominum genere honorificæ, lectusque sanctus, in nullis censeri debent inhonestæ, aut impuræ. At verum est antecedens: ergo consequens necessariò verum est. Quid hic potes refellere? aut quid non habet vim necessariæ conclusionis, quam tu nunquam subterfugies? Nam illum voti laqueum tuum iam antè conscidi. Ad cætera progrediamur.

Hebr. 13. 4.

Contra meritum hominis Christiani, tinctum sanguine Christi, promuntur testimonia, quibus iubemur nec naturæ, nec legi, nec sanguini Christi fidere. Quem refellunt? Quæ contra hominum merita

ta à noſtris diſputantur, ea vos apertiſsimè retellunt, atque perimunt. Natura corrupta eſt, & lex morbum oſtendit, non ſanat: ſpes ergo ſalutis noſtra omnis in Chriſti ſanguine collocatur. Vos autē meritum, neſcio quod, Chriſti ſanguine tinctum excogitaſtis, quod multum ad ſalutem promerendam valeat. Sic enim non ſolam ſalutem in Chriſti ſanguine conſtitutam, ſed magnam eius partem in veſtris meritis, ita tamen, nè Pelagius reuiuiſcat, vt Chriſti ſanguine tinctas ſint, poſitā eſſe defenditis. Vt planiùs loquar, id docetis, in quo iuſtitiæ veſtræ puppis & prora conſiſtit, Chriſtum vobis ſuo ſanguine meruiſſe, vt nos ſalutem mereri poſſemus. Hoc illud meritum eſt tinctum Chriſti ſanguine, de quo meminiſti. Noſtra nunc, quæ contra adduci ſoleant, argumenta, ſi potes, dilue. Quidquid pro debito exigitur, meritum non eſt: Quic quid autem agimus, id totum debitum eſt: quare nullum eſt omnino noſtrum meritum. Atque vt intelligas Chriſti duntaxat ſanguini non noſtris meritis fidendum eſſe, ex Paulo ſic concludam: Si per legem eſt iuſtitia, ſine cauſa Chriſtus mortuus eſt: at ſi per merita iuſtificamur, per legē iuſtificamur: ergo ſi per merita iuſtificamur, Chriſtus ſine cauſa mortuus eſt. Quid alia noſtra perſequar atgumēta innumera, quorum nullum eſt non concluſum ἀποδείκτως? A vobis quidem contra Chriſti ſanguinē proprīa merita miſerē atq; impudenter defenduntur.

Gen. 6. 5. 12. Rom. 4. 15

Rom. 8. 12 Luc. 17. 10 Rom. 4. 4

Galat. 2. 21

Tertium exemplum adiungis: *In eos, qui ſo-*

lum

Ppl.50.15 *unt cælites, vt famulos Christi maximè gratiosos citentur integra pagella, quæ vetant colere multos Deos. vbinam sunt?* Iam sibi Dominus suo iure sumit, solus vt à nobis inuocetur. Quare qui Diuos colit atque inuocat, is illis Diuinum honorem tribuit. Nam & posse quiduis præstare fingit, & omnibus in locis præsentes facit, quod vtrunque vnius Dei proprium est. Ita quicquid contra multos Deos affertur, id contrà vestros cælites omnino valet, quos & multò studiosiùs, quàm Deum ipsum, colitis, & honoribus spolisque diuinis exornatis. 1.Tim.2.5 Rom.8.34 Heb.7.25 *Vnus est Dei hominumq; mediator, homo Iesus Christus: is pro nobis perpetuò postulat:* Ergo qui nouos deprecatores, mediatoresq; introducunt, ij sunt in Christum iniurioſi. An hæc vestra audes defendere Campiane? *Iure matris imperat?* & quæ in Prosa Missæ de Conceptione cantitantur, *Tu spes certa miseriis, vera mater orphanorum, Tu lenamen oppressorum, Medicamen infirmorum, Omnibus es omnia?* & huiusmodi alia horrendæ atque inauditæ blasphemiæ plena? Si tibi hæc σκιαμαχία aliqua forte videatur, non tu Dei gloriam pluris, quàm asini vmbram æstimas.

Logomachia Alterũ vitiũ in *Logomachia* versatur, quando sententia nõ attenditur, de voce litigatur. Intelligo. Sed quæ nostra sũt in hoc genere peccata? *Inuenias mihi Missã, inquiunt, aut Purgatorium in scripturis.* Nonne æquũ postulamus? Vbi enim ista potiùs, quã in scripturis reperiãtur? Missa nihil sãctius habitũ est, Purgatorio nihil

nihil quæſtuoſius excogitari potuit: horum iam neutrum in Scripturis reperiri, admodum certè indignum atq; adſurdum videatur. *Ergo*, inquis *Trinitas, Homouſios, Perſona nuſquam ſunt in Bibliis, quia voces iſtæ non ſunt.* Minimè verò Campiane, atque hæc iniquè omnino comparantur. Etſi enim iſtæ voces non ſunt in ſcripturis, tamen ipſa res sẽſuſq;, vt ſcribit Epiphanius, omnibus in locis occurrit, & facilè vbiq; reperitur. Tua verò ſic non ſunt in ſcripturis, vt neque nomen, neque res vſquam appareat: imò ſcripturis palã aduerſetur. Nam quid aliud ſaut Miſſa, eſt, quàm buſtũ Cænæ Dominicæ, aut Purgatorium, quàm infamis animarum mercatura, atque intoleranda in Chriſti ſanguinem contumelia? Quare non hæc vocum exigua eſt, ſed rerum maxima contentio: niſi fortè Miſſam & Purgatorium, non res, ſed *voces artis* duntaxat eſſe ſtatuis. *Preſbiteri* autem nomen, & *Sacramenti* à communi ſignificatione ad res certas & particulares accommodatur, quemadmodum alia permulta, *Eccleſia*, *Epiſcopus*, *Apoſtolus*, *Diaconus*. Atque hæc nomina à nobis libenter vſurpantur, ſic tamen vt ὁμωνυμίαν diligenter caueamus. Neque enim ſatis cauſæ fuit, quamobrem vos matrimonium in numerũ ſacramentorũ referretis, quia Paulus ſcripſit, *Sacramentum hoc magnum*. Hîc enim Sacramentum κοινῶς ſumitur pro quouis myſterio, non pro ea ceremonia, quæ propriam habet Sacramenti rationem, Thomæ verò cautionem magnopere probamus.

Epiphan contra Semiarian lib. 3. ὁ δὲ νῦς παντὰχῦ.

Epheſ. 5.

Homonymia. *Homonymia*, quod tertium vitium est, duo exempla proponis, in quibus à nobis erratum esse dicis. *Nam & ordinem sacerdotum cõuellimus, quia Ioannes nos omnes vocauit sacerdotes: & ciborum delectum dierumq́ præscriptionem tollimus, quia propheta celebrat ieiunium spirituale.* De vtroque paucis respondeo, vt crimẽ ὁμωνυμίας à nobis depellam, Christianos omnes non Ioannes modò sacerdotes, sed Petrus etiam ἱεράτευμα ἅγιον & βασίλειον appellauit: atque hoc nomen nusquam in nouo testamento ad Euãgelij ministros propriè accommodatur. Christus enim factus in æternum sacerdos iuxta ordinẽ Melchisedec, nullos huius sacerdotij collegas habet. Itaque ministerium Christus suis, non nouum sacerdotium reliquit. Neque est vllum nobis reliquum sacrificium, cuius procurationi certi sacerdotes præficiantur. Nam illa θυσία ἀνίσεως atque ἱκετείας, cuius Apostolus meminit, quæq; nunc sola restat, ad omnes Christianos, promiscuè pertinet. Tamen huius ministerij, quod Christus in ecclesia sua perpetuum esse voluit, nullis administrationem permittimus, nisi ijs quorum interest, quiq́ue sunt ad illud munus certa lege euocati. Quanquam ergo nos omnes Christus & reges fecit, vt vitia debellare, & sacerdotes, vt spirituales hostias offerre possemus, tamen vti cuiuis homini minimè licet de regno somniare, ita vlli in sacrum ministeriũ inuadere nefas est, cui partes istæ non sint diuina authoritate assignatæ. Quare quam tu nostram in hoc vocabulo ὁμωνυμίαν accusas

Apoc. 5.

Esai. 48.

1. Pet. 2, 5, 9.

Heb. 5 & 7.

Heb. 13. 15. 16

euſes, planè non rideo. Ieiunium autem veſtrum eſt illud quidem totum ὁμώνυμον, & ieiunij Chriſtiani nihil præter nomen habet. Nam ciborum delectum habere religionis cauſa', & dies certos ſtatosq; præſcribere, in quibus neceſſariò ieiunemus, alterum inſanum, alterum ſuperſtitioſum eſt. Quis enim, qui non iudicium, omnemq; ſenſum amiſit, eum ieiunare exiſtimet, qui liceat, modo â carnibus abſtineat, in omnes ſeſe delicias ingurgitare? aut quis ieiunium ſextæ, quàm quartæ feriæ ſanctius arbitretur, qui non palàm ἰουδαΐζει? Si Galatas Paulus reprehendit, *quòd dies & menſes & tempora obſeruarent*, num noſtros ille papiſtas ferret improbiùs & turpiùs hallucinantes? Si Coloſſenſes præmonuit, ne illorum ſuperſtitione caperẽtur, qui cibos quoſdam non attingendos, non guſtandos, non contrectandos cenſerent, an ciborum papiſticum delectum probaret? Si certis cibis abſtinere Diabolicum atque hypocriticum olim eſſe ſtatuit, an nunc ſi viueret, ſententiam mutaret, atque iſtam abſtinentiã Chriſtiano imperaret? Nos quidem ieiunium verum, tum priuatum, tum publicum ſemper & magnopere laudamus: nec laudamus tantùm, ſed etiam vſurpamus, id quod annus hic preteritus, in quo multis in locis publica ieiunia religioſiſſimè habita ſunt, locupletiſſimè teſtari poteſt. Moſis autem, & Dauidis, & Heliæ, & Baptiſtæ, & Apoſtolorum ieiunium quid omnino veſtro ſimile habuit? Si enim ieiunium in ciborum delectu & dierum præſcriptione verſatur,

Gal. 4.10.

Coloſſ. 2.21.

1 *Tim.* 4.3.

quemadmodum tu ſtatuis, docè illos aut carnibus piſces prætuliſſe, aut ſtatutis atquè anniuerſarijs ieiunijs vſos eſſe. Nam Ioannes perpetuum ieiunium celebrauit, cæteri pro temporis ratione ipſaq; occaſione ieiunarunt, in quo non magis à carnibus quàm piſcibus abſtinuerunt. Itaque vt tuam Homonymiã verbo diluam, nego illam eſſe noſtram. Non enim quia ieiunium ſpirituale vrgemus, externum damnamus: quanquam hoc ſine illo nihil valet. Eſt autem hæc fallacia πρὸς τὸ ἐπόμενον potiùs, quàm πρὸς τὴν ὁμωνυμίαν. Sed hoc quale ſit vidimus. Properas.

2. *Tim.* 4.8.

Circulatio. Quartum his vitium adiungis *Circulationem*, quando eodem reuoluimur, & τὸ ἐν ἀρχῇ petitur. Agnoſco magnum ac putidum Sophiſma: noſtrum autem dic quodnam ſit eiuſmodi. exẽplum eſt de Notis eccleſiæ. hîc enim, inquis, *ſemper gyros rotaſq; fabricamus*, atque illud ipſum pro argumento capimus, quod poſitum eſt in quæſtione. Quomodo? Eccleſiæ notas facimus *Verbum Dei, & Sacramenta.* omnino: hæc enim qui habent, eccleſiam Chriſti habent: his qui carent, ij ſunt prorſus ab eccleſia atq; à Chriſto alieni. De notis iſtis litigemus, vt veſtræ ne ſint, an noſtræ dijudicetur. Quonam ergo in foro cauſam hanc diſceptabimus? quo quæſitore, quo iudice litem perſequemur? Opinor, Verbum Dei conſuletur. At illud tu iam conſuluiſti, *minùſque nobis nunc, quam antè, faues.* Nos inquam, verbum Dei, non te conſulimus Campiane. Verûm ais,

Proba

Proba mihi, hoc esse verbū Dei. AEquius fuit vt tu non esse probares. Ego etiā à te peto, vt quod me facere iubes, idem ipse facias, tuumq; verbū & Sacramenta eadem esse confirmes, quæ suæ Christus ecclesiæ commendauit. Quare non hoc nostrum magis est, quàm vestrum vitium. De verbo litigatur: id tu esse vestrum contendis, ego contrà nostrum esse defendo. Si tu iudicium non probas meum, cur ego non recusem tuum Sed tu perperam à nobis exponi verbum dicis. at ego id esse falsum affirmo. Quo nunc recidisti? pedem, si potes, vnum progredere. *Testes*, inquis *habeo quindecim ætates*, Vanum, insulsum, insolens. Non habes, non habes Campiane. Semper hic erras & tanquam in circulum reuolueris, in eoque peccas ipse, in quo nos reprehendis. De patribus responsum est. ij toti sunt in maximis iudicijs nostri, in leuioribus varij, in pauciſſimis ac minimis vestri. Quanto esset consultius, vt quemadmodū de Concilijs scripsit Augustinus, nec tu mihi Hieronymum, nec ego tibi Augustinum *tanquam præiudicaturus, obijcerem: sed scripturarū authoritatibus, res cū re, causa cum causa, ratio cum ratione concertaret?* Neq; enim, vt idē Augustinus alio in loco prodidit, *quorumuis disputationes, quantumuis Catholicorum & laudatorum hominum, velut scripturas Canonicas habere debemus. Talis ego sum in scriptis aliorum: tales volo esse intellectores meorum.* Et quandoquidē Thomæ Aquinatis meministi, ex illo discē cuiusmodi argumenta ex patrum dictis sumi possint. *Au-*

Augustin. contra Maximia. lib. 3. cap. 14. Augustin. epist. 111. ad Fortunatian.

Thom. Aquinas. 1. p. 1. q. 8. Art.

thoritatibus, inquit *Canonicæ ſcripturæ vtitur ſacra doctrina ex neceſſitate argumentando: authoritatibus autem aliorũ Doctorũ eccleſiæ probabiliter arguendo.* Hæc illa ſunt, doctiſſimi Academici, præclara ſophiſmata, quæ Campianus in noſtris ſcriptis animaduertere potuit. Vellem hunc nobilem Sophiſtam vobis liceret paululũ in veſtris ſpacijs excutere. Quantum fraudi veritas, & inani verborũ iactationi doctrina exquiſita antecellat, facilè profectò conſtaret. Vobis certè, qui tales ſunt, nec formidoloſi, nec admodũ moleſti eſſe poſſunt.

Edm. Campianus.

X. Ratio.

HÆc erit vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam. *Quis enim, quamuis bebes in plebecula, dummodo ſaluis cupidus parumper attenderit, ſemitam Eccleſiæ tam egregiè complanatam non videat, non teneat, vepres & cautes & auia deſectatus? Erunt hæc etiam rudibus explorata, ſicut Iſaias vaticinatus eſt, vobis igitur ſi voletis exploratiſſima.*

OMNE GENVS TESTIVM. Eſai. 35.

* Nihil aliud hoc loco Campianus attulit, quàm perpetuã principij petitionem.

* *Theatrum vniuerſitatis rerum ponamus ob oculos: quicquid eſt vſpiam peragremus: omnia nobis argumentum ſuppeditant. Eamus in cælum: Roſas & lilia contemplemur: purpuratos nempe martyrio, candidatos innocentia. Romanos, inquam: Pontifices* * *tres & triginta continenter occiſos, Paſtores terris omnibus, qui ſuum pro Chriſti nomine ſanguinem oppigneratum: Greges fidelium, qui Paſtorum veſtigijs inſtitere: Diuos omnes cælites, qui turbæ hominum, puritate & ſanctimonia præluxere. Noſtros hic vixiſſe, noſtros hinc emigraſſe reperias*

Cælites. Aug. ſer. 37 de Sanct.

* Quorum nullus papiſta fuit.

Dam. in vi. Pont. Rom.

reperias. Noſter fuit, vt paucula delibem, ille martyrij ſitientiſſimus Ignatius, qui in rebus eccleſiæ neminem, ne regem quidem, æquauit epiſcopo: qui traditiones quaſdam Apoſtolicas quarum teſtis ipſe fuerat, ne dilaberentur, ſcripto mandauit. Noſter, Anachorita Teleſphorus, qui ieiunium Quadrageſimæ ſancitũ ab Apoſtolis obſeruari ſeuerius iuſſit. Noſter Irenæus, qui à ſucceſſione cathedrarũ Romana, fidem Apoſtolicam, declaranit. Noſter, Victor pontifex, qui Aſiam edicto * coercuit vniuerſam: quod cum aliquibus, atque etiam huic Irenæo viro ſacratiſſimo uideretur aſperius, nemo tamen attenuauit vt * exoticam poteſtatem. Noſter Polycarpus qui ſuper quæſtione paſchatis Romam adijt, cuius ambuſtas reliquias, Smyrna collegit, anniuerſario die virtutis, legitimo, ſuum epiſcopum venerata. Noſtri Cornelius & Cyprianus, aureum par Martyrum, ambo magni præſules, ſed maior ille, qui Romanus Afrocanum errorem reſciderat, hic nobilitatus obſeruantia, qua maiorem eſt proſequutus amiciſſimum ſui. Noſter Sixtus, cui ad aram ſolennibus ſacris operanti, miniſtrarunt è clero ſeptemuiri. Noſter Laurentius huius archidiaconus, quem aduerſarij de ſuis faſtis eijcinnt, quem ante mille ducentos annos vir Conſularis Prudentius ſic orauit.

Hier. in cat. ſcript. In epiſt. ad Smyr. Euſ. l. 3. c. 30 Dam. in vit. Teleſp. to. 1 con. c. ſtat. d. 3. Lib. 3. c. 3. Euſ. 5. hi. 24. Euſ. 4. hi. 14 Suidas. Euſ. 7. hiſt. 2. Prud. in hym de S. Laur. Vi. Aug. ſer. 1. de S. Laur. Amb. li. 1 off c. 41. 2. off. 28 Leo ſerm. in die. S. Lau.

* Et nos in iis rebus quæ propriæ ſunt epiſcopi neminem epiſcopo æquamus.

* Falſum. non enim potuit coercere.

* Falſum multi enim Epiſcopi in Victorem hoc nomine acerbiſſimè inuecti ſunt.

Quæ ſit poteſtas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis,
Hos inter, ô Chriſti decus,
Audi & Poëtam ruſticum,
Cordis fatentem crimina
Et facta prodentem ſua.
Audi benignus ſupplicem
Chriſti reum Prudentium.

Noſtræ, virgines illæ perbeatæ, Cecilia, Agatha, Anaſtaſia, Barbara, Agnes, Lucia, Dorothea, Case-

rina quæ decretã pudicitiam aduersus & hominum & dæmonum tyrannidem firmauerunt. Nostra Helena quam Dominicæ crucis inuentio celebrauit. Nostra Monica, quæ moriens orari & * sacrificari pro se mortua ad altare Christi, religiosissimè flagitauit. Nostra Paula, quæ ex vrbano palatio & opimis prædijs in spelunca Bethleemitica sanctis itineribus peregrina cucurrit, vt ad Christi vagientis cunabula deliteſceret. Nostri Paulus, Hilarion, Antonius, seniculi solitarij. Noster Satirus, Ambrosij germanus frater, qui tremendam illam hostiam circum se gestans in vrario, naufragus insiliit in oceanum, & fide pleniſſimus enatauit. Nostri Nicholaus & Martinus episcopi, exercitij vigilijs, paludati cilicijs, ieiunio pasti. Noster Benedictus, tot monachorum pater. Chiliadas istas decennio non exequerer. Sed nec illos repeto quos in ecclesiæ doctoribus ante posueram. Memor sum brevitatis meæ. Petas ista qui volet non solum ex abundanti veterum historia, sed multo etiam magis ex grauissimis auctoribus qui penè singuli Diuos singulos memoriæ reliquerunt. * Renunciet mihi de Christianis illis antiquissimis & beatissimis, quid autumet vtrius doctrinæ fuerint, Catholicæ an Lutheranæ. * Testor Dei solium, & illud tribunal ad quod stabo rationem rationum harum. & Dicti Facti reddituros, aut nullum cœlum esse, aut nostrorum esse. illud execramur, hoc ergo desigimus.

Nunc è contrario, si libet inspiciamus in Tartara. Cremantur incendio sempiterno, qui? Iudæi. quam ecclesiam auersati? Nostram. qui? Ethnici. quam ecclesiam crudelissimè persequuti? nostram. qui? Turci. quæ templa demoliti? nostra. qui? Hæretici. cuius ecclesiæ perduelles? nostræ. * Quæ enim ecclesia præter nostram, omnibus inferorum portis se opposuit?

Cum, pulsis hebræis, Christiani succresceret Hierosolymis,

Metaphr. Am. ſer. 90. 10. 3. & li. 1 de Virg. Ado. Tre. in martyr. Euſ. 2. hi. 17. Ruf. li. 1. ca. 8 Ex Aug. li. 9 con. capit. vſque ad 12. Hier. in epiſt. Paul. Hiero. Athanaſ. Amb. in ora fu. de Satyro. Ioa. Diaco. Sen. Sulp. Metaph. Gre. li. 2. dial.

Vide. 12. tom. Surij.

D. Amnati.

Matt. 19.

* Hoc non fuit missę sacrificiũ Lege responsum.

* Et tu ex istis omnibus vnum nomina Ieſuitã

* Isto modo solet Campianus argumentari.

* Catholica ecclesia cuius vestra, nulla pars est.

Hieroſolymis, Deum immortalem, qui concurſus hominum ad loca ſacra fuit, quæ vrbis religio, quæ ſepulchri, quæ præſepij, quæ crucis, quæ monumentorum omnium, quibus velut exuuijs mariti Eccleſia ſponſa delectatur? Hinc manauit in nos Iudæorum odium, ferum & implacabile. * *Queruntur etiam nunc, maiores noſtros maioribus ſuis exitio fuiſſe. A Simone Mago & Lutheranis nullum ictum acceperunt.*

Iudæi. Euſ. 4. hiſt. 5 Hier. in epit. Paul. & in epiſt. ad Marcel. & paſſim in epi.

Ethnici. In Ethnicis violentiſſimi fuere, qui toto Imperio, trecentis annis, per interualla temporum, ærumnoſiſſima Chriſtianis ſupplicia machinati ſunt. Quibus? Patribus & filijs noſtræ fidei. Cognoſcite vocem tyranni qui Diuum Laurentium torruit in craticula.

Leo Sermon D. Laurent.

Hunc eſſe veſtris Orgijs
Moremq; & artem proditum eſt:
Hanc diſciplinam fœderis,
Libent vt auro antiſtites.
Argenteis ſcyphis ferunt,
Fumare ſacrum ſanguinem,
Auroque, nocturnis ſacris,
Adſtare fixos cæreos,
Tunc cura ſumma eſt fratribus,
(Vt ſermo teſtatur loquax)
Offerre, fundis venditis,
Seſtertiorum millia.
Addicta auorum prædia
Fœdis ſub auctionibus
Succeſſor exhæres gemit,
Sanctis, egens, parentibus.
Hæc occuluntur abditis
Eccleſiarum in angulis:
Et ſumma pietas creditur
Nudare dulces liberos.
Deprome theſauros, malis
Suadendo quos præſtigijs
Exaggeratos obtines,

Prud in him. de S. Laur.

*Verum ſine cauſa queruntur. Nihil habet cur veſtris maioribus admodum ſucceſſeant.

Nigrante quos claudis ſpecu.
Hos poſcit vſus publicus,
Hoc fiſcus, hoc ærarium,
Vt dedita ſtipendijs
Ducem iuuet pecunia,.
Sic dogma veſtrum eſt, audio,
Suum quibuſque reddito,
En Cæſar agnoſcit ſuum
Numiſma, numis inditum.
Quod Cæſaris ſcis, Cæſari
Da: nempe iuſtum poſtulo.
Ni fallor, haud vllam tuus
Signat Deus pecuniam.
Nec cum veniret, aureos
Secum Philippos detulit,
Præcepta ſed verbis dedit
Inanis à marſupio.
Implete dictorum fidem,
Quæ vos per orbem venditis
Numos libenter reddite,
Eſtote verbis diuites.

* Ecclesiam ſuam Campianus ex opibus & diuitijs oſtẽdit. Papiſticæ eccleſiæ nota

* Pontifex Romanus ille eſt Nemrodes, robuſtus venator eccleſiæ.

* Falſum mortuus antè eſt multis annis Sylueſter, quã Conſtantinus tinctus baptiſmate.

* Falſum: nam & prima fuit, & tota aurea.

* *Quis videtur? In quos furit? Cuius eccleſiæ ſacra, lychnos, ritus, ornamenta conuellit? Cui patellas aureas, & argenteos calices, & ſumptuoſa donaria, & opulentam gazam inuidet? Profectò lutherizat. Quod enim aliud velum ſuo latrocinio noſtri* * *Nemrodes obtenderent, cum depeculantur eccleſias, & Chriſti patrimonium diſſipant? Contra verò Magnus ille Conſtantinus, χριστιμαχων terror, quam eccleſiam tranquillauit? Illam, cui pontifex Sylueſter præfuit, quem in Soracte latitantem accerſijt, vt eius operâ, noſtro baptiſmate* * *tingeretur. Quibus auſpicijs victor? ſigno crucis. Qua matre glorioſus? Helena. Quibus ſe Patribus adiunxit? Nicenis. Cuiuſmodi? vt Sylueſtro, vt Marco, vt Iulio, vt Athanaſio, vt Nicholao. Cuius ſe precibus commendauit? Antonij. Quam ſellam poſtulauit in ſynodo?* * *vltimam. O quanto regalior hac ſede,*

Gen. 10

Dam. in Syl. Zonaras Euſ. lib. 2. de vit Con. ca. 7. 8. 9. Sozom. lib. 1. cap. 9.

sede, quam qui regis titulum non debitum ambierunt? Singula narrare longum est. Sed ex his duobus, altero nobis infestissimo, altero nobis amicissimo, licebit singula conijcere, quæ sunt horum simillima. Etenim, vt nostrorum illa fuit epitasis turbulẽta, sic nostrorum hæc euasit diuina catastrophe.

Turcica videamus. * *Mahometes & Sergius monachus apostata, in profundo barathro iacent vlulantes, & suis & posterorum sceleribus onusti. Hæc portentosa & efferata bellua, Saraceni, Turci, nisi à nostris ordinibus militiæ sacræ, nisi à nostris Principibus & populis accisa fuisset ac repressa, per Lutherum quidem (* cui gratias hoc nomine Solymannus Turcas literis egisse dicitur) & per Lutheranos regulos (quibus Turcorum progressio lætabilis existimatur) hæc, inquam,* Erinnys *furiosa & exitiosa mortalibus, totam iam depopularetur & vastaret Europam, neque indiligentiùs altaria & signa crucis, quàm ipse Caluinus euerteret. Ergo nostri hostes illi sunt proprij, vtpote nostrorum industria, à Christianorum iugulis repulsi.*

Vide volat. Iouium. AEmil. l. 8. Blond. lib. 9. de 1.

* Turcas satis constat non minus pontificis opera, quã suis viribus creuisse.

* Romano põtifici gratias agere iustissimè debuit.

Despectemus in Hæreticos, feces, & folles, & alimenta Gehennæ. Primus occurrit Simon Magus: Quid ille? * *Eripiebat homini liberam voluntatam: solam fidem percrepabat. Mox Nouatianus: Quis? Antipapa Cornelio Pontifici Romano, hostis Sacramentorum Pœnitentiæ & Chrismatis. Deinde Manes persa: Hic docebat,* * *Baptismum salutem non conferre. Post, Aërius Arrianus: preces damnabat pro mortuis, confundebat episcopis sacerdotes, cognominatus* * *Ἄθεος, non minùs quam Lucianus. Sequitur Vigilantius, qui Diuos orari non ferebat: ac Iouinianus, qui virginitatem & nuptias æquiparabat: denique colluuies vniuersa, Macedonius, Pelagius, Nestorius, Eutyches, Monothelitæ, Iconomachi, cæteri, quibus Lutherum & Caluinum posteritas aggregabit. Quid isti? Omnes mali corui, eodem ouo geniti, ab Ecclesiæ nostræ præsulibus*

Hæretici. Clem. li. 1. recog. Iren. li. 1. ca 2 Cyp. ep. ad Iubalam. & li. 4. ep. 2. Theodoro de fab. haret. Aug. her. 59. Epiph. hare 75. Socra. li. 2 c. 35. Hiero. in Ioui & Vigil. Aug. her. 82.

* Falsum lege responsum.

* Docuit baptismum nihil omnino valere

* Hic Aëtius fuit, non Aërius

deſciuerunt, ab illis euicti & exinaniti ſunt.

Deſeramus Auernum, reddamur terris. Quocunque me oculis & cogitatione conuertero, ſiue Patriarchas intueor & ſedes Apoſtolicas: ſiue Antiſtites cæterarum gentium: ſiue laudatos Principes, Reges, Cæſares: ſiue Chriſtianorum cuiuſque Nationis initia: ſiue vllum iudicium vetuſtatis, aut lumen rationis, aut honeſtatis decus: noſtræ fidei ſeruiunt & ſuffraganntur omnia. Terra.

Teſtis Romana ſucceſſio, in qua ſemper Eccleſia, *(vt cum Auguſtino loquar)* Apoſtolicæ cathedræ * viguit principatus: *Teſtes illæ reliquæ Sedes Apoſtolicæ, in quas hoc nomen inſignitè conuenit, quòd ab ipſis Apoſtolis hortumue auditoribus exædificatæ fuerint.* Sedes Apoſtolica. Epi. 162. Vide Tert. de præſc. Aug. lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 8.

* Dum vixit Auguſtinus viguit in illa eccleſia Apoſtolicæ cathedræ principatus. Sed illa Apoſtolica cathedra iamdudum euerſa eſt.

Teſtes vbiuis gentium paſtores, loco diſſiti, religione noſtra concordes. Ignatius & Chryſoſtomus Antiochiæ: Petrus, Alexander, Athanaſius, Theophilus, Alexandriæ: Macarius & Cyrillus, Hieroſolymis: Proclus Conſtantinopoli: Gregorius & Baſilius in Capadocia. Thaumaturgus in Ponto: Smyrnæ Polycarpus: Iuſtinus Athenis: Dionyſius Corinthi: Gregorius Niſſæ: Methodius Tyri: Ephrem in Syria: Cyprianus, Optatus, Auguſtinus in Africa: Epiphanius in Cypro: Andreas Cretæ: Ambroſius, Paulinus, Gaudentius, Proſper, Fauſtus, Vigilius in Italia: Irenæus, Martinus, Hilarius, Eucherius, Gregorius, Saluianus in Gallia: Vincentius, Oroſius, Hildefonſus, Leander, Iſidorus in Hiſpania: In Britannia, Fugatius, Damianus, Iuſtus, Mellitus, Beda. Denique ne ambitioſus videar in nominibus, quæcunque vel opera vel fragmenta ſuperſunt eorum qui diſiunctiſſimis terris euangelium ſeuerunt, omnia nobis vnam fidem exhibent, * *quam hodie, Catholici profitemur. Chriſte, quid cauſæ tibi afferam, quo minus me de tuis exterminet, ſi tot* * *luminibus Eccleſiæ, tenebricoſos homullos, paucos, indoctos, diſſectos, improbos anteferos?* Diſiunctiſſima terra. Hier. in cat. ſcrip. eccl. & alij.

* Falſiſſimum.

* Non debes animulam tuam hominibus ſuſpendere.

Teſtes

Principes. *Teſtes item Principes, Reges, Cæſares, horumq́; reſpublicæ, quorum & ipſorum pietas, & ditionum populi, & pacis bellique diſciplina, ſe penitus in hac noſtra doctrina catholica fundauerũt. Hic ego quos ab oriente Theodoſios, quos ab occidente Carolos, quos Edouardos ex Anglia, Ludouicos è Gallia, Hermingildos ex Hiſpania, Henricos è Saxonia, VVenceſlaos è Boëmia, Leopoldos ex Auſtria, Stephanos ex Hungaria, Ioſaphatos ex India, quos orbe toto dynaſtas atque toparchas paſſim arceſſere: qui exemplo, qui armis, qui legibus, qui ſolicitudine, qui ſumptu, noſtram eccleſiam nutrierunt? Sic enim præcinuit Iſaias:* Erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ. *Audi Elizabetha, Regina potentiſſima: tibi tantus Propheta canit, te tuas partes edocet. Narro tibi:* * *Caluinũ & hos Principes vnum cœlũ capere non poteſt. His ergo te Principibus adiunge, dignã maioribus, dignam ingenio, dignam literis, dignam laudibus, dignam fortunæ tuæ. Solum hoc de te molior ego, & moliar, quicquid me fiet, cui tanquàm hoſti capitis tui, toties iam iſti patibulum ominantur. Salue bona crux. Veniet, Elizabetha, dies ille ille dies, qui tibi liquidò commonſtrabit, vtri te dilexerint,* * *Societas IESV, an Lutheri progenies. Pergo.*

Videre 12. tom. Surij.

Iſa. 49.

* Ineptiſſimè. tu id ſcilicet narras.

* Huius ſocietatis amores ſatis iamdudũ perſpectos habuit. A pagete.

Nationes ad Chriſtum tradũctæ. *Teſtes iam omnes oræ plagæq́; mundi, quibus Euangelica tuba poſt Chriſtum natum inſonuit. Parúmne hoc fuit, Idolis ora claudere, Dei regnum gentibus importare? Chriſtum Lutherus, Catholici Chriſtũ loquimur. Num* * *diuiſus eſt Chriſtus? minimè. Aut nos, aut ille falſum Chriſtũ loquimur. Quid ergo? Dicam. Chriſtus ille ſit, & illorum ſit, quo Dagon inuicto ceruices fregerit. Noſter Chriſtus opera noſtrorum vti voluit, cum Iones, Mercurios, Dianas, Phœbades & illam noctem ſæculorum atram, Erebumq́; triſtem, è tot populorum cordibus relegaret. Non eſt otium longinqua perquirere. Finitima tantum atque domeſtica ſpeculemur. Hi-*

1. Cor. 1.

* A vobis diuiſus eſt.

1. Reg. 5.

berni ex Patricio, Scoti ex Palladio, Angli ex Auguſtino, Romæ ſacratis, Roma miſſis, Romam venerantibus, fidem, aut nullam, aut certè noſtram, id eſt, catholicam inſuxerunt. Res aperta. Curro.

Teſtes Academiæ, teſtes legum tabulæ, teſtes vernaculi mores hominum, teſtes electio Cæſarum & inauguratio, teſtes regum ritus & inunctio, teſtes equitum ordines, ipſæq; chlamydes, teſtes feneſtræ, teſtes numi, teſtes vrbanæ portæ, domusq; cinicæ, teſtes anorum fructus & vitæ, teſtes res omnes & reculæ, nullam in orbe religionem niſi noſtram, imis vnquam radicibus inſedisſe. Cumulus teſtium.

Clamydes, feneſtellæ, portæ, domus, res & reculæ, mira teſtimonia.

Quæ mihi cum ſuppeterent, & certè ſic afficerent meditantem, vt his omnibus nuncium remittere Chriſtianis, & conſociari cum perditiſſimis quibuſque, videretur inſolentis inſaniæ: non diffiteor, animatus ſum & incenſus ad conflictum, in quo niſi Dini de cælo deturbentur, & ſuperbus Lucifer cælum recuperet, cadere nunquam poſſet. Quo mihi ſit æquior Charcus, qui me tàm immaniter concerpit, ſi hanc animulam peccatricem quam tanto Chriſtus emit, viæ tutæ, viæ certæ, viæ regiæ malui credere, quàm Caluini ſcopulis dumetiſue ſuſpendere.

CONCLVSIO.

HABETIS à me, florentes Academici, hoc munuſculum, contextum operis in itinere ſubciſiuis. Animus fuit & purgare me vobis de arrogancia, & ſatisfacere de fiducia, & interim dum ab aduerſariis vnà mecum ad ſcholas inuitemini, quædam apponere deguſtanda. Si æquum, ſi tutum, ſi honeſtum duciis, haberi Lutherum, aut Caluinum, Canonem Scripturæ, Mentem Sancti Spiritus, Normam Eccleſiæ, Conciliorum, Patrumq; Pædagogum, omnium denique teſtium & ſeculorum Deum. nihil eſt quod ſperem, vobis lectoribus vel auditoribus:*

* Tam æquum eſt talē haberi Lutherum, & Caluinum, quā Papam.

*tribus: Sin eſtis ij, quos apud animum formani meum, philoſophi, oculati, amatores veri, ſimplicitatis, modeſtiæ: hoſtes temeritatis, nugarum, ſophiſmatum, facile diem in aprico videbitis, qui dieculam anguſta rima diſpicitis. Dicam libere, quod meus in vos amor, & veſtrum periculum, & rei magnitudo poſtulat. Non hoc neſcit diabolus, vos iſtam lucem, ſi quando aperitis oculos attollere, cõſpecturos. Cuius enim ſtuporis fueritis, antiquitati Chriſtianæ Hammeros & Charcos anteponere? Sed ſunt * quædam illecebræ Lutheranæ, quibus ſuum ille regnum amplificat, quibus ille tendiculis hamatus multos iam veſtri ordinis ineſcauit. Quænam? Aurum, gloria, deliciæ, veneres, contemnite. Quid enim aliud iſta ſunt, niſi terrarum ilia, canorus aër, popina vermium, bella ſterquilinia? ſpernite. Chriſtus dives eſt, qui vos alet: Rex eſt, qui ornabit: Lætus eſt, qui ſatiabit: Speciosus eſt, qui felicitatum omnium cumulos largietur. Huic vos adſcribite militanti, vt cum eo triumphos, verè doctiſſimi, verè q, clariſſimi reportetis. Valete. Coſmopoli. 1581.*

* Quaſi nullæ ſint Pontificiæ illecebræ, quibus ille ſuos ineſcauit.

Guil. Whitakerus.

DE fece hauris nunc multa Campiane, atque omnino deſperatiſſimam prodis egeſtatem ac mendicitatem tuam. Locum in quo conſiſteres, hactenus nullum inueniſti. Deinceps quicquid eſt vſpiam in rerum natura peragrare ac peruagari ſtatuiſti. Itaque nunc in cælum ſubuolas, nunc in Tartara delaberis, nunc Iudæos, Ethnicos, Turcas, Hæreticos, Terras, ſedes Apoſtolicas, diſiũctiſſimas regiones inuiſis, vt ſi quod

vſquam veſtræ ſuperſtitionis monimentum appareat, conquiras. Miſeret me profectò, pudetq; tui vehementer, quem tanto conatu meras agere nugas video. Cuius enim cerebri atq; ingenijeſt, Cælites primùm multos numerare, tum dicere Hi noſtri ſunt: Damnatos percẽſere, Iudæos, Ethnicos, Turcas, Hæreticos, tum de illis affirmare Hi noſtram eccleſiam oderũt: Gentes omnes ad Chriſti fidem traductas cõmemorare, tum concludere, Hæ noſtram religionem profitẽtur? Satin hunc hominem ſanum putemus, tam ineptè, tam alienè, tam pueriliter Cælorum, Inferorum, Terrarum ſpatia dimetiẽtem: & ſibi, quæ placet, attribuentem, quæ non placet, abiudicantem? Egregium & dignum Ieſuitis Sophiſma, quod vbi vel vno negandi verbo diluitur, nunquam poterit ab vniuerſa peruerſiſſimæ ſectæ familia comprobari. Indignus es Campiane, cui quiſquam de iſtis ſomnijs reſpondeat, vna Negationis litura totum hoc caput deleri potuit. In diſſuendo hoc tam malè conſuto ac conſarcinato Sophiſmate nõ cõmittam, vt multus eſſe videar. Sufficiet leuiter tranſire, & rem vnãquamq; tantummodo perſtringere.

Eſaiæ vaticinium adducis primùm, *de via directa in qua ſtulti non errent*. Aditum ad Chriſti eccleſiam Propheta deſcribit, planum, & facilẽ, & admodũ expeditum. Sed iſta via ad veſtrã eccleſiã minimè perducit. Hãc enim eiuſmodi fore propheta prædicit, vt nullus in ea vel homo pollutus, vel leo, vel omnino fera truculenta reperia-

periatur. Veſtræ autem viæ omnes & ab impuriſſimis hominibus & a beſtijs immaniſſimis, leonibus, vrſis, pardis, draconibus, dęmonibus obſidentur, ac tandem ad interitum luctuoſum ſtultos miſeroſq; mortales deducunt. Nos eam viam ſequimur, quã nobis Chriſtus & Apoſtoli tritam reliquerunt. Veſtras inuſitatas, ineptasque vias fugimus. Eſt enim peccatorum via hæc, in qua vos inſiſtitis, quam qui terunt, Viam pacis ignorant. Vobis ergo priùs ipſi ſemitam ſapitote, tum nobis viam monſtrate. *Pſal.1.1.* *Rom.3.17.*

Eamus, inquis, *in cœlum*. Vereor ne vobis non liceat Ieſuitis. Eſt enim Chriſtianorũ, non Ieſuitarum cœlũ, vt vobis in cœlo nullus omnino locus eſſe videatur. Sed tamen finge te in cœlo ad tẽpus eſſe. quid ibi agas, attendo. *Contemplemur*, ais, *Martyres, Romanos pontifices tres & triginta continenter occiſos: Paſtores terris omnibus, greges fidelium: Diuos omnes celites*: Cœlum ipſum totumque exercitum cæleſtem contemplare, partes omnes, & regiones circumſpice, quantum voles, Campiane: in omni cælo nullum, mihi crede, Ieſuitam, nullum Papiſtam aſpicies. Cum Agno enim nulli conſiſtunt in monte, qui beſtiæ nomine & charactere inuſti ſunt, aut aliquid cum Antichriſto commercij habent. At ſunt in cælo Romani pontifices tres & triginta: & multò etiam plures, non dubito. Verum ex iſtis triginta tribus vnum mihi nomina, ſi potes, tuum Cãpiane. Erãt hi omnes ſancti & fideles Epiſcopi, qui ſanguinẽ pro Chriſto ſuum profuderunt. *Apocal.14.1.*

Vestri multis iam seculis pontifices nihil aliud egerunt, quàm Christū, ve rosque Christi amicos conciderunt ac trucidarunt. Si illi tres & triginta pontifices Romani sint in cælo, vti procul dubio sunt, quàm multos potui commemorare pontifices recentiores, qui esse vbi illi sunt, nullo modo possunt? ita sunt illis omni modo dissimiles.

Paucula delibas: ea nos cuiusmodi sint degustemus. *Noster fuit*, inquis, *Ignatius*. Quamobrem verò? *In rebus ecclesiæ neminem, ne regem quidem æquauit episcopo, & traditiones quasdam Apostolicas scripto mandauit*. Nec est episcopo quisquam homo æquandus in ijs rebus, quæ ad episcopi munus pertinent. Is enim sacris præesse solus debet, id est populum docere, sacramenta celebrare, claues regni cælestis tractare. Ista summa sunt, & regiam etiã authoritatem superant: tamen episcopis reges opibus, amplitudine, imperio, maiestate superiores sunt, eosq; possūt officij sui admonere, siq; deliquerint, coercere. His in rebus si regibus episcopi se putent æquales, nimiùm illi quidem intolerandi sint. Traditiones autem Apostolicas, quas scripto mandauit Ignatius, si sint Apostolicis scriptis conuenientes, suscipimus: si non sint, repudiamus. Illas quidem Ignatij epistolas pleraſque esse adulterinas quis dubitat? Alios hic multos commemoras: atque in quemcunque incidis statim vestrum esse clamas. Nostri sunt, inquis, Telesphorus, Irenæus, Victor, Polycarpus, Cornelius, Cyprianus, Sixtus, Laurentius. At ego hos omnes esse nostros affirmo: tu

quem-

quemadmodū esse vestros persuadeas, consideremus. *Telesphorus ieiunium Quadragesimæ, sanctum ab Apostolis, obseruari seuerius iussit.* Nego ab Apostolis sancitū omnino fuisse ieiunium Quadragesimæ: nego a Telesphoro iussum seuerius obseruari. Tantam superstitionem nec Apostoli instituerunt, nec Telesphorus renouauit. Nam Clementis illæ Cōstitutiones, in quibus hoc perscribitur, non habent satis magnum authoritatis pondus. Siquе hoc ieiunium fuit ab ipsis Apostolis præscriptum, miror deinceps fuisse intermissum, vt Telesphoro opus esset seueriorem huius ieiunij obseruationem præcipere, præsertim cum tantæ de Paschatis celebratione controuertię in ecclesia extiterint. Illam autem Telesphori epistolam, in qua de septem hebdomadarum ieiunio mandat, tanti ęstimo, quanti reliquas illas pontificum epistolas Decretales, quæ non ab ipsis sanctissimis episcopis conscriptę, sed ab impudentissimis ecclesiæ Romanę assentatoribus confictæ fuerunt. *Irenæus*, inquis, *à successione cathedráque Romana fidem Apostolicā declarauit.* Id ille tum facere potuit, *quia cum episcopatus successione Charisma veritatis certum tenuerunt*, quemadmodū alibi loquitur Irenæus. Nam inanis est sine veritatis charismate episcopatus successio. Vestra cathedra episcoporum habet, veritatis non habet successionem. *Victor*, inquis, *Asiam edicto coërcuit vniuersam.* Imò, voluit coërcere Campiane, sed non potuit. Quando enim ecclesijs Asiaticis persuadere se non posse sensit, vt pa-

Irenæ. lib. 4. cap. 43.

ſcha Romano more celebrarẽt. Excommunicare ſimul omnes voluit homo nimiùm iracundus. Hunc ſeſe inſolentius efferentem, ſuaque authoritate nonnihil abutentem Iræneus repreſſit ac coërcuit. Lis autẽ de paſchate adeo non potuit à Victore conſtitui ac dirimi, vt ad Nicenum vſq; Concilium durauerit. Ita vides quàm præclarè Aſiam Victor domuerit vniuerſam.

Polycarpus ſuper quæſtione Paſchatis Romam adijt, cuius reliquias Smyrna collegit. Mira ſunt quę narras. Romam Polycarpus adijt, vt Anicetum de Paſchate conſuleret, eiuſq; reliquias Smyrna collegit: ergo Polycarpus veſter eſt. Nihil te ſchola noſtra mouet tam pueriliter σοφιζόμενα? Reliquias verò illas eccleſia Smyrnenſis collegit, non vt coleret, ſed vt conderet: quemadmodum apud Euſebium eodẽ in loco legimus. Cur autẽ Cornelium & Cyprianum veſtros eſſe dicis? Nimirum *ille Africanum errorem reſcidit, hic illum obſeruantia proſequutus eſt.* O mirificam Ieſuitarum Dialecticam: quis non huiuſmodi argumẽtis incredibiliter moueatur? Sed audite aliud.

Noſter Sixtus. Quid ita? *Ei ad aram ſacris operanti miniſtrarunt è Clero ſeptemuiri.* Sixto cęnam Dominicam procuranti Septem Diaconi inſeruierunt: ergo Sixtus veſter eſt. Si hoc argumentum valet, quin ſit veſter, non pugnabo. Sed in hoc nihil video, quominus ille noſter eſſe poſſit. Siccine te nugari, & noſtra patientia abuti oportuit Campiane? Quid ſequitur? *Noſter Laurentius.* Quomodo? *Eum aduerſarij de ſuis faſtis eiecerunt*

cerunt. Illum nos vt ſanctum, & Chriſti amicum religioſa memoria proſequimur, non vt Deum veneramur. *Eum ante mille annos Prudentius orauit*. Da poetæ Campiane, vt Apoſtrophis poëticis interdum vtatur, è quibus nihil ad firmum argumentum ſuppeditatur. Quanquam ſi fuit Prudentius paulò, plus quam debuit, ſuperſtitioſus, id noſtra quid refert?

Hic nunc virgines commemoras, Ceciliam, Agatham, cæteras, ad quid iſtæ fecerunt, vt noſtræ eſſe non poſſent? A tyrannis de fide interrogatæ, ſe Chriſtianas eſſe profeſſæ ſunt. Si erant Chriſtianæ, erant noſtræ. *Noſtra*, inquis, *Helena, quam Dominicæ crucis inuentio celebrauit*. Quæ apud Ambroſium de Helena leguntur, ea ſuſpecta admodũ ſunt: quæq; de Crucis inuentione ferebantur, ea Gelaſius ipſe pontifex Romanus *Nouellas reuelationes* appellat. Helena crucem inuenit. Eſto: non enim magni intereſt. Num autem adorauit? Id enim ad cauſam pertinet. Ambroſium audi: *Inuenit Titulum: regem adorauit, non lignum vtiq; quia hic gentilis eſt error, & vanitas impiorum*. Quanquam ergo crucem inuenit, non tamen veſtra fuit: quia crucem vobiſcum minimè adorauit. Non enim inuentio, ſed adoratio Crucis papiſtam facit. *Noſtra Monica, quæ moriens orari & ſacrificari pro ſe mortua ad altare Chriſti flagitauit*. Id Monica minimè flagitauit, vt miſſæ ſacrificium pro ipſa fieret, quo peccata delerentur atque expiarentur: neque hoc modo vel orauit pro Monica, vel ſa-

Dict. 15. Sancta Romana.

Ambroſ. in Orat. funeb. Theodoſ.

crificauit Augustinus. Id tantùm Monica petijt, vt inter Eucharistiam celebrandam, assidua quædam commemoratio, suiq; mentio fieret, quia se vnam esse ex illa cælesti ac diuina sanctorum societate non dubitauit. Orauit Augustinus pro matre. Non nego, sed hoc ille potiùs quadam erga matrem pietate fecit, quàm quòd id sibi magnopere necessarium esse iudicauit. Et mos hic preces pro mortuis faciendi, qui multis in locis inualuit, nõ à verbi authoritate fluxit, sed à summo quodam eorum, qui vixerunt, in suos amore nimiaq; pietate. Id quidem constat, quàm parùm crediderit Augustinus, esse in Purgatorio matrem, vt ipsius precibus admodum posset subleuari: Sic enim ait, *Dimitte Domine, dimitte obsecro, ne intres cum ea in iudicium. Et credo quòd iam feceris, quod te rogo, sed voluntaria oris mei approba Domine.* Sed vt nonnihil & Monica, & Augustinus errarint, tamen nec illam, nec hunc proinde esse vestrum potes concludere. Patres enim non ex vno aliquo iudicio, sed ex perpetua de maximis causis sententia æstimandi sunt.

August. cõfes. lib. 9. cap. 13.

Paulam adiungis, & Paulum, & Hilarionem, & Antonium, quorum omnium, aliorumq; sexcentorum, quos potui similes Monachos enumerare, nullus Papista fuit, nullus vester fuit. Erant illi omnes Christiani, & solitudinem sequebantur, vt eo modo possent liberiùs supera ac cælestia meditari. Noli enim cum istis tuos comparare Monachos, qui sunt ex alia secta & genere Monachorum. Illi sancti, laboriosi, fideles, pleni

ni bonorum operũ: Veſtri impuri, ocioſi, idololatræ, helluones, porci, boues, aſini. quid ſimile? At Satyrum Ambroſij fratrem quomodo doces eſſe veſtrum? *Naufragus inſiliit in Oceanum & fidelisſimus enatauit.* Dignus certè qui veſter ſit quia potuit natare. Nam quid hic eſt præterea argumenti? Nicolaus & Martinus cur veſtri ſint, nihil affers. Nam vigiliæ, cilicium, ieiunium non ſunt veſtrorum epiſcoporum inſignia. Sed *Benedictus pater fuit multorum Monachorum*: ergo produl dubio veſter fuit. Potui non inuitus hunc tibi largiri Benedictum, quem hominem fuiſſe nimis profecto ſuperſtitioſum cõſtat: ſed tamen totum fuiſſe veſtrum, hoc eſt, vobis aut in omnibus, aut in plurimis rebus fauiſſe, nunquam euinces.

Hic nunc *Chiliadas* multas pretermittis. Franciſcum, opinor, dicis & Dominicum, & illa infinita armenta atratorum & albatorum fratrum, quos ego tibi vniuerſos liberaliſſimè dono, quiq; iſtis ſimiles vnquam exiterunt, omnes eſſe tuos æquiſſimo animo patior. Non enim ij tales fuerunt, vt eos ambire nos magnopere deberemus. In eo autem, quòd Doctores non repetis, quorum ante meminiſti, prudentiam tuam & conſilium laudo. Nam illos pro tuis vendicare ſine audacia & iniuria ſingulari non potes. Quod vero tibi renunciari vis, *vtrius doctrinæ iſti omnes fuerint, Catholicæ, an Lutheranæ*, id tibi reſpõdebo, quando à Catholica diſtinctam eſſe docueris Lutheranam. Lutherus non nouæ doctri-

næ magister fuit, sed Catholicæ, veterisq; fidei vindex atque instaurator. Quid si enim Lutherus nuper admodum extitit, vt illis antiquis notus esse non posset? at doctrinam Lutherus Euangelicis, Apostolicisq; libris consignatam, à vobis penè extinctam, renouauit ac pristino splendori restituit. Id mihi renuncies ipse velim Campiane, ex ijs omnibus, quos nominasti, quis vnquam Thomista fuit, aut Scotista, aut Dominicanus, aut Franciscanus, aut Iesuita. Quãdo de istis respondes, ego tibi de Luthero referam.

Sed hîc Dei solium testaris, *aut nullum cælum esse, aut vestrorum esse.* Id te oportet constanter & audacter affirmare. Quanquam in Romana ecclesia sic viuitur, vt cælum esse nullum omnino videatur. Nam nec ipsi vultis in cælum ingredi, nec eos, qui cupiunt, permittitis: & ij mores hominum vestrorum sunt, vt Orco, quàm cælo magis congruant & conueniant. Nescio quod tu cælum somnies Campiane. Si illud æternum Dei & sanctorum domicilium intelligis, Deum huius palatij architectum, eiusq; incolas vniuersos testor, nihil in hoc cælo loci esse vobis papistis, pseudocatholicis, Iesuitis. Fidem, qua itur in cælum, nouam excogitastis, & cælum oportet nouum quæratis, in hoc esse non potestis. Faxit Dominus vt tandem in rectam viam, qua itur in cælum, redeatis.

Damnati. Nunc de cælo delapsus inspicis in Tartara. Vellem animo posses Campiane, sedes illas infernas, & Damnatorum regiones contueri. Etsi de

mortuis

mortuis ſoleo libenter optima quæque iudicare, vereor tamen ne nimiùm multos ex ijs, qui in eccleſia veſtra floruerunt, in iſtis locis offenderes. Equidem, vt alios taceam, ij pontifices plerique veſtri recentiores, Boniſacij, Innocentij, Sylueſtri, Gregorij, Calixti, Vrbani, Alexandri, Adriani, Pij, Iulij, Leones, Pauli, reliqui fere omnes extiterunt, vt eos vix facilè credas in cælum aſcẽdere potuiſſe. Et verò, Chriſtum vnicum cæleſtis doctrinæ magiſtrum teſtor, eam eſſe fidem ac religionem veſtram, vt illam qui totam ac ſolidam tenet, in cęlis viuere & regnare cum Chriſto nequeat. Itaq; flammis illis ſempiternis non Iudæi tantùm, & Ethnici, & Turci, & notiſſimi hæretici, ſed omniũ etiã hæreticorum teterrimi atque odioſiſſimi papiſtæ concremantur. Innumerabiles certè hominum Chriſtianorum animas veſter Antichriſtus in hunc triſtiſſimum interitum multis hiſce ſeculis præcipitauit, illudq; Inferorum regnum plus vnus auxit, quàm omnes Iudæi, Neroncs, Mahometæ, Arij, Neſtorij, Macedonij, Eutychetes, reliqui. Tibi, Campiane, ſalutem precor, quæ in vera Dei, & quem miſit Ieſu Chriſti cognitione conſiſtit: teque obteſtor, vt Antichriſto Romano, quocum aliquot nunc annis vixiſti, nuncium tandem remittas, atq; ad Chriſtum æternæ vitæ authorem redeas, à quo nimiùm profectò iam diu exulaſti.

Sed quid iſti Damnati, ad tuam cauſam conferant, videamus. Iudæi primi ſunt: atque hîc *Hieroſolymas, lauacra ſacra, ſepulchrum, præſepiũ, crucẽ,* *Iudæi.*

monimenta commemoras, è quibus vniuersis nullum potes in rem tuam argumentum elicere. Maximum fuisse hominum ad illam vrbem concursum fateor, partim vt Apostolos Christi viderent atque audirent, dum illi vixerunt, partim vt ipsa loca conspicerent, in quibus Christus Dei filius plurimum versatus est. Et multa erant Hierosolymis, quæ homines paulò magis curiosos excitarent, atq; ad proficiscendum impellerent. Quãquam autem ecclesia istis religionibus plus æquo dedita fuit, & tanquam sponsa exuuijs mariti nonnihil extra modum delectata, tamẽ à Papistica εἰδωλομανίᾳ, atque illis superstitiosissimis profectionibus, quibus vti vos soletis, longè illis temporibus adfuit. Odium autem Iudæorum in Christianos non inde cœpit, quòd Christiani in illam regionem maximis numeris confluerent, quemadmodum tu fingis, sed Euangelium harum inter nos atq; illos inimicitiarum causa fuit.

Rom. 11. 28. Illi Mosen vrgent: nos quia Christo Mosen cedere oportere dicimus, ijs odiosi sumus. Hæc illis vna est in nos odij causa: vos quamobrem oderint, multæ sunt. Vestra enim illa multiplex idololatria perpetuam ijs offensionẽ attulit, quominùs Christi Euangelium susciperent. Tollite idola, vt, qui Christiani appellamur, Deum omnes Spiritu purè veneremur: Iudæi ad nos aggregabuntur, atque in Christi caulam frequentes aduolabunt. Sed qui sunt illi maiores vestri, à quibus sibi exitium allatum esse Iudæi queruntur? An Romani, qui Tito duce vrbem exciderunt?

runt? At illi erant à Christi fide auersi. Num horum vultis esse posteri? Quinam ergo hi sunt vestri maiores, à quibus illi tãtam calamitatem acceperunt? Etsi in religione multa habent, ob quæ sint à vobis perpetuò alieni, tamen alijs nominibus multum vobis Iudæi debent, vt vos ament meritò, nisi admodum ingrati esse velint. Nam apud vos in ipsa etiam Roma & sacris pristinis vti, & in Christum blasphemi esse palam atque impunè possunt. Modò tributum conferant, nullius sacrilegij ac blasphemiæ pœnas persoluent. *Hi*, inquis, *à Lutheranis nullum ictum acceperunt*. Nec istis damnum vnquam vllum Iesuitæ intulerunt.

Ad Ethnicos progrederis. *In his*, inquis, *violentissimi fuere, qui ærumnosissima Christianis supplicia machinati sunt*. Fateor illis tyrannis, à quibus Christiani trecẽtis annis per interualla temporum concisi ac trucidati sunt, nihil violentius atque immanius esse potuisse. Quid tum verò deinceps? Quos illi ad exquisitissima supplicia traxerunt, ij erant, inquis, *patres & filij fidei nostræ*. Non erant Campiane. Fuit hoc argumentis docendum, non verbis affirmandum. Adeo nec illi patres erant vestri, nec vos illorum filij estis, vt inter vos atque illos nulla planè fidei ac virtutum cognatio intercedat. Nam vt Iudæis Christus respondit, *Si filij Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis*, ita si illi patres vestri fuissent, patribus certè filij similes essetis. Vide Campiane, ne quod deinceps sequitur, vobis multò re-

Ethnici.

Ioan. 8. 39.

Ioan.8.44. ctiùs conueniat, *Vos ex patre Diabolo estis.* Illi quidem sanctissimi patres, si nunc in terris viuerent, vos pro suis filijs minimè agnoscerent: ita illis omni modo dissimiles estis. Pudeat tandem eorum filios dici, à quibus tam turpiter & improbè degeneratis: aut si nomen vos illud delectat, operam date vt vobis natiuum esse videatur. Sed quorsum tyrannum illum introducis Campiane, *qui Laurentium torruit in craticula*, & quamobrem versus tam multos repetis è Prudentio? Nempè fit auri, argenti, lychnorum mētio. Quid hoc ad rem? Lychni quidem nocturno tempore erant necessarij: noctu autem tum soliti sunt conuenire Christiani, quia interdiu nō licebat. At Lychnos clara ac meridiana luce accendere atque adhibere, quemadmodum apud vos fieri solet, summæ amentiæ est. Quod autem de auro, & scyphis argēteis, & sestertiorum millibus tyrannis obiecit, id fictum crimen fuit. Audierat Christianis auri atque argenti vim esse infinitam & abditos quosdam Thesauros, quorum ille potiendi cupiditate inflammatus Laurētium ad se vocat, & proferre pecuniam iubet. Quam autem hic auream, argenteámue suppellectilem tyranno tradidit Campiane, quæ pocula, quæ vasa, quos thesauros prodidit? Non tantis eo quidem tempore ecclesia opibus abundauit, vt patellis aureis, calicibus argenteis, sumptuosis donarijs, magnifica & preciosa gaza circumflueret. Erant tum episcopi quidem & presbyteri aurei, vasa lignea & parum splendida: nunc contra,

tra, vt verè Bonifacius, *vasa sunt aurea, sacerdotes lignei. χάλκεα χρυσίων.* Nec ille *Lutherizat*, vt tu *παπατίζεις. Nemrodes* enim illi, & ecclesiarum depeculatores è Lutheri schola minimè prodierunt. Qui maximam ex ecclesiæ spolijs prædam fecerunt, vestri illi quidem, non nostri fuerant. *Bonifacius, De Consec. Dist. 1. Vasa.*

Huic tyranno Constantinum opponis, in cuius laudes temere excurris, vt locum expleas, non vt argumentum conficias. Nam ista quam vim habent, quæ commemoras? Constantinus ecclesiam tranquillauit, à Syluestro episcopo Romano tinctus est baptismate, Crucis signo vsus est, matrem habuit Helenam, Nicenis patribus sese adiunxit, Antonij se precibus commendauit, vltimam in synodo sellam postulauit, ergo quid demum concludis? Non enim ex istis efficies vestram ecclesiam esse veram ecclesiam, nisi ea admodum violentè astringas, ne dissiliant. Ecclesiam Constãtinus maximis tempestatum fluctibus iactatam tranquillauit, & quibus potuit opum atque honorum ornamentis decorauit. ex quo tempore diuitijs illa quidem magnopere aucta est, virtutibus nonnihil diminuta. Quod autem scribis *Syluestrum è Soracte à Constantino accersitum esse, vt eius operâ nostro baptismate tingeretur*, è cœlo potiùs deuocatum fuisse dixisses Syluestrum, vt tingeret Constantinum. Etenim multis antè annis Syluester è viuis excesserat, quàm est baptismo tinctus Constantinus, quem admodum ex Eusebio, Socrate, The- *Euseb. lib. 4. de vita Constantin. Socrat lib. 1. cap. 39.*

Theodorit. lib. 1. cap. 31. Sozom. lib. 3. cap. 34.

odorito, Sozomeno cognoſci poteſt, qui non à Syluestro Romano, ſed ab Euſebio Nicomediensi, eoque Ariano tinctum ſacro baptiſmate fuiſſe Conſtantinum ſenem, non iuuenem, prodiderunt. Syluester verò Conſtantino adoleſcente decrepitus ſenex fuit. Crucis autem ſigno Cõſtantinus, quod in aëre conſpexerat, tanquam vexillo vti voluit, vt ſe Chriſti militem, & tyrannorum hoſtem declararet. Hanc tamen Crucem ab eo fuiſſe cultam atque adoratam, nunquam euinces. De ſella autem Conſtantini non magni refert. Quid ſi enim in Epiſcoporum conſeſſu locum vltimum elegit? Id illum neceſſitate potiùs, quàm humilitate quadam feciſſe exiſtimas? Sed tamen quid de iſta ſella ſcribat Euſebius, attende: παρελθὼν ἐπὶ τὸν πρώτην τῶν ταγμάτων ἀργυρᾶ μέσος πρῶτος ἵζη, σμικρῷ τινὸς αὐτῷ καθήματος ὕλης χρυσῷ πεποιημένῳ, προτεθέντος. Ita vides & in ſummo loco, & in ſella aurea Conſtantinum conſediſſe: atque hanc ſellam & maximam fuiſſe, & cæteris ſuperiorem author eſt Sozomenus. Sed hæc tua mirifica ſunt, tuique pontificis cauſam diuinitus communiunt.

Euſeb. li. 3. de vita Conſtant. Sozom. lib. 1. cap. 19.

Turcæ.

Ad Turcica tranſcurris, in quibus ἀπονοησίαν tuam vehementer prodis. Nunquam enim Turcarum imperium minùs creuit, quã ex quo Lutherus Euangelium docere cæpit. Antè vt æſtus maritimus in omnes oras impetu violentiſſimo ac furioſiſſimo irrupit atque inundauit: Luthero, tanquam agricolæ bono, ſementem Euangelij faciente, ſubitò quodammodo conſtitit, ſeq;

ſuis finibus tenuit. Viennam à Lutheranis defenſam tentauit quidem Solymannus: ſed à nullis vnquam maiorem aut cladem accepit, aut dedecus reportauit: & doce, ſi potes, fuiſſe vnquam in cauſa Lutheranos, vt vel Chriſtiani infirmiores, vel Turcæ potentiores euaderent. Literæ autem illæ, quas à Solymano ad Lutherum miſſas ſuſpicaris, ad Pontificem Romanum iuſtiſſimè ſcribi potuerunt. Etenim nulli plus Turcæ debent, quàm pontifici, id quod & facilè intelligunt, & niſi valde ſint ingrati, perpetuò prædicabunt. Si enim, quod Chriſtus ait, regnum diuiſum non poteſt eſſe diuturnum, qui Romanum & Chriſtianum imperium diſcidit, & diſtraxit, atq; ex vno regno duo fecit, is imperij neruos incidit, is Chriſtianorum potentiam debilitauit, is Turcarum vires confirmauit. Quouſque imperij prouinciæ ac ditiones coniunctæ erant, fuimus contra Turcas ſatis firmi: at poſtquam Leo Papa tertius imperium diuulſit, ac diſcerpſit, Conſtantinopolitanus imperator, qui priùs ægrè potuit Turcis reſiſtere, tum planè, imperij maxima parte diminutus, ſuccubuit. Itaque pontifici Turcarum imperator gratias aut egit, aut agere debuit: Luthero cur ageret, cauſa nulla fuit. Sed omnia pontificis Romani cum Turcarum rege commercia longum eſſet commemorare. Quid nunc concludis? *Noſtri hoſtes*, inquis, *illi ſunt propriy.* Imo Græcorum multò grauiores hoſtes extiterunt, quàm Latinorum: vt ſi illi optimi ſint Chriſtiani, quos Turcæ peſſimè oderunt, &

acerbissime tractarunt, vobis Græci longè præstent. Quod autem de Altaribus & signis interponis, tanta est idololatria vestræ ecclesiæ, quantæ Turcas etiam ipsos pudere solcat. Itaque imagines atque idola vestra male mulctant, vbicunque inueniunt.

Hæretici. Hæreticos deinceps commemoras, *feces, & folles, & alimenta Gehennæ.* Quousque erunt papistæ, nunquam Gehennæ ista deerunt alimenta. *Primus tibi occurrit Simon Magus.* Et huic Simoni paulò plus, quàm alteri, ecclesia vestra debet. Quid ille? *Eripiebat*, inquis, *hominì liberam voluntatem, solam fidem percrepabat.* Vnde id didicisti, Campiane? Nam hoc istis in locis nec Clemens, nec Irenæus affirmauit. Fato ille quidem, & absoluta quadam necessitate cuncta sensit euenire, in quo liberam hominis voluntatem in omni re sustulit. Nostrum dogma nullum est eiusmodi. Nec ille fidem solam percrepabat, sed ex eo, quòd gratia & fide iustificamur, habenas omni turpitudini ac sceleri remittebat. Quid nos tale? Nouatianus alter esse voluit in ecclesia Romana episcopus, & sese Cornelio legitimè electo obiecit, vt sibi per vim pontificatum compararet. Quid hoc ad nos? At fuit *hostis sacramentorum pœnitentiæ, & Chrismatis.* Pœnitentiæ hostis fuit, quia lapsis pœnitentiam, & veniam negauit. Nostra alia causa est, qui nullum, quem verè pœnitet, à venia excludimus. Baptismum autem Manes tanquà inutilem & minimè necessarium prorsus abiecit. Potes id de nobis affirmare? Baptismum

tismum ijs, qui fide carent, negamus conferre ex opere operato gratiam: at ille baptismum omnino sustulit, sumus ne similes? Aërium Epiphanius & Augustinus in hæreticis numerant. Sed præter hos antiqui pauci. Et quidem si *preces pro mortuis damnare, & episcopo presbyterum æquare* sit hæreticum, nihil Catholicum esse potest. Cum Aërio Hieronymus de presbyteris omnino sensit, illos enim iure Diuino episcopis æquales esse statuit. Nec iste fuit Aërius, quem vulgò ἀθεον cognominabant, vt tu scribis, sed alter quidam Aërius falsus es in nominis similitudine. De Vigilantio & Iouiniano suprà respōdimus, quos ego nec defendo, nec certè magnopere accuso. Si erant hæretici, conuince aliquid cōtra scripturas docuisse. Hieronymi iracundia tantum valere non debet, vt quenquam hæreticum faciat. Tum deinde vniuersam adiungis hæreticorum colluuionem, *Macedonium, Pelagium, Nestorium, Eutychetem, Monothelitas, Iconomachos*. Illos odimus vt portas inferorum: hi autem postremi nihil admiserunt, quamobrem pro hæreticis haberentur. Non enim Imagines euertere, sed statuere & colere, hæreticum est. De Luthero & Caluino quid vos iudicetis, parum interest. Vos viui non curarunt, mortui contemnunt. Nunc quid ex isto hæreticorum censu denique concludes? *Omnes isti*, inquis, *ab ecclesia nostra præsulibus desciuerunt, ab illis euicti sunt*. Sunt hi maiores vestri Campiane, à quibus vos orti ac proseminati estis. Etenim ex impurissima om-

Hier. ad Euagr. & in 1. Tit.

Socrat. lib. 1. cap. 45.

nium hæreseon concretione natum est illud vestrum Papismi monstrum?

Terræ. Sed nunc ex inferis emergis, & terras repetis. Quocunq; autem oculos & cogitationem conuertis, *omnia*, inquis, *vestra sunt, fideiq; vestra seruiunt, & suffragamur.* Illum mihi videor audire mercatorem, qui stans in littore quicquid vsquã nauium conspiceret, suum esse totum insanus affirmaret. Nisi enim ἀρρωστίᾳ quadam δεισιδαιμονίας laborares, nunquam ista tam insanè sommares.

Sedes Apostolicæ. *Testis est*, inquis, *Romana successio, in qua semper ecclesia (vt cum Augustino loquar) Apostolicæ cathedra viguit principatus.* Romanæ ecclesiæ multum omnes olim meritò tribuerunt, cum aliis ob causas, tum maximè propter ipsam Imperij sedem, quemadmodum ex Constantinopolitano Concilio manifestò constat. Itaque non nego illam summam, primariam, præcipuam, maximam, principem ecclesiam esse habitam, alijsque ecclesijs antepositam? Num hinc efficere te posse existimas Romanum episcopum esse principem, aut summum sacerdotem, aut caput ecclesiæ? At id Augustinus ipse in Carthaginiensi Concilio vetuit, *ne Primæ sedis episcopus princeps sacerdotum diceretur, aut tali aliquo nomine appellaretur.* Quanquam ergo Romanæ ecclesiæ primas olim multis de causis sancti patres detulerunt, illam tamen pontificis infinitam authoritatem, quam ille sibi post arripuit, nunquam agnouerunt. Nec reliquæ sedes Apostolicæ, siue ab ipsis Apostolis, siue ab

Concil. Constãtinop. 1. cap. 5.

Concil. Carthag. 3. cap. 26 Dist. 99. primæ sedis.

eorum

eorum auditoribus exædificatæ, huic Romanæ ecclesiæ vllum dant veritatis testimonium. Hic tibi semper aqua hæret, & quod extorquere vi non potes, precariò emendicare cogeris.

Verùm instas, & gentium omnium pastores enumeras. Quorsum? *Quæcunq;* inquis, *vel opera vel fragmẽta supersunt eorũ, qui disiunctissimis terris Euangelium seuerunt, omnia nobis vnam fidem exhibent, quam hodie Catholici profitentur.* Quid dici potuit obtusius? Nam & Græci, quorum nullis temporibus ad hanc vsque ætatem interrupta successio fuit episcoporum, vestram fidem auersantur: & vestri nouarum terrarum exploratores multa passim in extremis oris eius fidei, quam nos defendimus, monimenta repererunt. Nec verò causæ aliquid est, quamobrem illis nos præferas: saltem cum philosopho debes veritatem rebus omnibus anteferre. Quod si autem tuos pontifices, & illa quæ vidẽtur esse apud vos egregia, ipso Euangelio antiquiora iudicabis, quid causæ Christo afferes, quominus te de suis exterminet, qui pluris aliquid, quàm ipsum æstimaris. Atque hic Principes, & Reges, & Cæsares commemoras, & maximas, vt soles, nominum diuitias ostentas. deinde, Elizabetham Reginam augustissimam appellas, eamque quid sui muneris sit edoces. At illa te magistro, Campiane, aut monitore non indiget. Id sibi nouit diuinitus esse datum, vt ecclesiæ nutrix & alumna sit: itaque ecclesiam summa cura studioque fouet, & ne quid à vobis, cęterisq; vestri similibus

Osorius.

Aristot.

Principes.

Esa. 48.

aduersarijs detrimenti capiat, quanta potest vigilantia cauet. Quod autem de Caluino atque his principibus narras, quos vno cælo capi posse negas, id tuum non est pro certo affirmare. Cælo detrahere Caluinum nullis tuus pontifex machinis potest, nec eorum quenquã, quos suos esse testes Christus voluit. De te, tuoq; sodalitio quod subiungis, nos tibi non crucem, sed salutem optamus. Vtinam liceat optima quæque tibi ominari. Nec verò dubito, modò mentem præiudicatam posueris, Deique verbum & sanctos veteris ecclesiæ patres in consilium adhibueris, quin tibi tandem veritas, de qua vtrique contendimus, illuxerit, Illa autem *Iesu societas* in quam tu ascriptus es, totam se pontifici maximo venditat, vt quia Gregorium decimum tertium tam vehementer diligit, Elizabetham non nimis diligere possit à Gregorio tam valde alienam.

Nationes ad Christũ traductæ.

Pergis, *& oras omnes plagàsque mundi testes producis*. Sed recẽtiora debes ab antiquis disiungere. Vt enim orbis terrarum vniuersus cum tuo pontifice contra Christum coniurarit (quod tamen factum non est) id omnino nihil aut pro vobis, aut contra nos valet. Qui enim ab euangelio recedit, is ab ecclesia necessariò separatur. *Idolis ora claudere, & Christi regnum gentibus importare* magnum fuit & diuinum, sed non vestrum. Nam vos & mundum idolis compleuistis, & Christi regnum, quantum in vobis fuit, euertistis. Ab Apostolis, virisque Apostolicis

idola

idola olim deiecta sunt, & Dei regnum longè lateque constitutum. Hic tu mihi vnum, si potes, nomina Papistam, aut Iesuitam. Nam illi, qui nunc apud Indos noua regna moliuntur, non Christo, sed pontifici inseruiunt: nec Christi regnum dilatant, sed pontificis, postquam ex istis terris exactus fuerit, locum, vbi regnet, à Lutheranis remotissimum præmuniunt. *Num diuisus est Christus?* inquis. Certè a vobis ille diuisus est Iesuitis. Nisi enim diuidi potuit, quamobrem Iesum à Christo distraxistis, illudq; tritum Christianorum nomen, quo vulgò omnes appellati sunt, vt nimis diuulgatum spreuistis, & Iesuitæ dici nouo atque inaudito more, quàm Christiani maluistis? Est ne aliqua societas Iesu certo cuidam hominum generi propria, à reliquis Christianis seiuncta? si est, ergo diuisus omnino Christus est: si non est, vos nimiùm audaces Iesuitæ, qui nouam societatem excogitastis,

Aut nos, ais, *aut ille falsum Christum loquimur.* Ita planè est necesse. Lutherus autē verū Christum loquitur, quicquid fremat pontifex: quare vester Christus, & vester Iesus cuiusmodi sit, non intelligo: verus esse profectò non potest. Obsecro te Campiane per Christum Iesum, vt a quo discesseris, ad quem abieris, in quod discrimen te ipse conieceris, consideres. Sed quis verus Christus sit, doces: attendo. *Christus ille sit, & illorum sit, quo Dagon inuicto ceruices fregerit.* Hoc quidem valde placet: & noster Christus vestros paucis his annis innumeros Dagones prostrauit

ad cõminuit. Cũ primùm enim Christus Euãgelio suo comitatus perdẽ vspiam posuit, vestri Dagones sine mora corruerunt, & crura ac brachia ac ceruices stregerunt. Quales aut Patricius apud Hybernos, Palladius apud Scotos extiterint, non persequar: ad Anglos quidem Augustinus ille Monachus etsi bona multa attulit, nonnulla tamen etiam mala ac superstitiosa aduexit. [illegible]. Id satis cõstat ante hunc Augustinum fidẽ Christianam multis seculis in Britania viguisse, quam ille suo aduentu peiorem an meliorem effecerit non dicam. Vixit verò certe sexcentis à Christo annis, seculo, vt ego iudico, non satis puro, vt alij affirmant, vehementer corrupto.

Cumulus testium.

Denique, quia longum esset singula consectari, cumulum testium conglobatum introducis: Academias, leges, mores vernaculos, Cæsarum electiones, regum ritus, equitum ordines, Glamydes, Fenestras, Numos, Portas, Domos, res omnes & reculas. De quibus id tibi paucis respondeo si vel Angelus cælestis aliud nobis Euangelium annunciet, quàm illud ipsum, quod Christus docuit, Apostoli propagarunt, nostræ ecclæsiæ profitentur, cum summa detestatione recusemus: ne dum vt tuas hasce tam minutas res & reculas magnopere curemus. Nobis & Academiæ florentissimæ, & leges antiquissimæ, & omnium generum vetustissima monimenta non obscurum veritatis testimonium impartiunt. Atque ita nunc tuam hanc [illegible] ac-

cepi-

cepimus, in qua quantum elaboraris, video: quãtum profeceris, alij iudicẽt. Si nullis magis, quam nostris Academicis placuisti, magnam profectò laboris & spei iacturam fecisti. Ego etsi me in causa tibi aduersarium profiteor, te tamẽ ipsum diligo Campiane, quantum Iesuitam Christianus potest. precor autem Deum & patrem Iesu Christi vt oculos tibi mentis aperiat suasque vias commonstret, ne quam seruare cupis animulam, summo precio redemptam, eam ad Papistarum scopulos afflictam misero naufragio perdas. Quare desine veritati obsistere, & pedem sciens in stimulos impingere, non potes maritimos fluctus reprimere, non solis radios obscurare, non Dei manum cohibere. Falsitas pulsa loco fugiet, & veritas tandem, quantumuis repugnes, victoria potietur.

CONCLVSIO ad Academicos.

HOc quicquid est munusculi vobis, ornatissimi Academici, Campianus offerre voluit: quod cuiusmodi sit, vestrum erit iudicare. Non ego volitates vestras inflectere, atq; ab illo alienare magnopere conabor, quas ita firmas stabilesq; noui, vt eius nequeant leuissimis rationibus commoueri. Apud imperitã plebẽ, ac multitudi-

nem indoctam iactare sese forsan, & plausum aliquem captare potuit: at vobis illudi, tantisq; ingenijs fucum fieri posse si metuam, in Academiam iniurioſus certè ſim. Itaque Campianum facilè patior cum in iudicijs, animisq; vestris locum habere, quem ipse potuit obtinere, reique arbitrium ipsum vobis facilè ac libentissimè permitto. Hoc autem ille munusculum *operis in itinere succisivis* contexuit, si id ipsi credimus affirmanti. Veritus enim est ne quid per ocium accuratè ac meditatè scripsisse videretur, in quo & causæ palàm diffidit, & ingenij sui leuitatem vanitatemque prodit. Quod enim summa deliberatione iam antè perpoliuerat, & secum Roma in Angliam attulerat, id videri velle subitò dictasse, & tanquam aliud agentem in itinere profudisse, nec causam valde bonam, & arrogantiam certè arguit insolentem. Sed Hoc Papistis nostris in more positum est, vt quicquid scribunt, repentè atque ex tempore scriptum esse fingant. Ita enim sperant vt & veniam excusationis, quicquid errant, faciliorem inueniant, fidemq; faciant, quãdo diligentiam maiorem, curamq; ad scribendum contulerint, ea se scripturos, quæ tam firma sint, vt refelli nunquam possint. Postquam Iuellus ille veritatis clarissimus præco Papistas vniuersos lacessisset, atq; ad omnem antiquitatem prouocasset, annis post aliquot nonnullis prodeunt libelli, à magnis authoribus conscripti, Hardingo, Rastallo, Dormanno. Verum hîc artem egregiam attendite. Vbi integrum

integrũ triennium in adornanda reſpõſione conſumpſerant,& tandem aliquid pepererant,quod tamen veriti ſunt ne parum apud doctos & cautos homines momenti habiturum eſſet,ſimulant illa raptim eſſe ſcripta, non eo animo, vt ederentur in lucem, ſed vt vnius aut alterius amici priuato deſiderio ſtudioque ſatisfacerent. Quid ineptius fingi, aut dici timidius potuit? Horum prudentiam Campianus ſibi duxit eſſe imitandam, vt hoc munuſculum curſim & operis ſucciſiuis, contextum confirmaret, quod ille ſummo ocio in tranſmarinis partibus inſtruxerat. Quanquam & libri argumentum, & genus ſcribendi, & totum munuſculum eiuſmodi eſt, vt facilè hîc celeritatem maiorem, quàm maturam deliberationem adhibitam fuiſſe credam. Nam iſtæ rationes quid aliud ſunt, quam calumniarum corpus exiguum,è Lindani, Sanderi, Caniſij,Melchioris Cani, Bellarmini libris & prælectionibus concinnatum, in quo conficiendo facile fuit Campiano properare, præſertim quãdo non quàm vera, ſed quàm criminoſa eſſent,quæ ſcriberet, curauit. Id enim iam minimè dubito, quin ſatis, Academici, perſpiciatis, nihil à quoquam ſcribi vel ad rem falſius, vel ad modum acerbius ac malitioſius potuiſſe, quàm iſta ſunt, quæ in hunc libellum cõtulit Campianus.Deum ipſum teſtor, & cælum, terramque, ac quicquid vſquam eſt rerum appello, ſi ſit vlla in rebus veritas, hæc Campiani, quæ ille vobis proponit, eſſe falſiſſima. Inſpicite, exquirite, penitus co-

gnoscite, Campiano ne confidite, aduersarius est, insidiosus est, & ipse fallitur, & vos fallere conatur. Falli autem, nisi vultis ipsi, ab isto quidem non potestis, qui noui nihil præter inauditam atq; incredibilem quiduis fingendi, & affirmandi audaciam afferre potuit. Si fuit æquum, vt hic pluris, quàm Caluinus, quàm Lutherus, quàm Christus ipse veri magister authorq; fieret, habuit quod speraret: sin hoc nimis iniquum, atque insanum est, nihil hisce rationibus apud vos effecit. Nox est, quousque dies illucescit: exorto sole tenebræ fugantur, & veris perspectis falsa euanescunt. Deus & pater luminum, sapientiæ cœlestis doctor vnicus suum nobis spiriritum largiatur, vt pulsa ignorantia, erroris que fallacia magni illius Pastoris vocem audiamus, & Antichristi illecebras fugiamus, & verum Deum, Patrem, Christumque Iesum cognoscamus, cui cum Spiritu sancto omnis Laus & gloria in sempiterna sæcula tribuatur.

FINIS.

TOTIVS PRECEDENTIS LIBRI INDEX ALPHABETICVS.

A.

ALtaria lignea. 109
Angelorum patrocinium. 17
Angeli non adorandi. ibid.
Angelis cura piorum. ibid.
Apocalypſeos authoritas 31
Apochrypha non in Canone. 14
Apochrypha repudiata. 19. 20.21.22.
Arbitrij libertas refut. 18.& 105
Auguſtinus Monachus non fuit Anglorum Apoſtolus. 246

B.

BAptiſmus extra Rom. eccleſiam papiſtarum iudicio verus. 185
Baptiſmus ex opere operato non confert gratiam. 186
De Baptiſmo Iohannis aliter Patres, aliter Scriptura iudicat. 86
Baptiſmi non priuatio ſed cõtemptus exitialis. 187
Beza de Chriſto. 155

C.

CAmpiani confirmandi modus. 216
Campiani mendatium inſigne. 237
Caſtalionis errores. 30.31
Cœna ſacra Chriſtus non excluditur. 43. nec tamẽ humanitate adeſt.
Cœnæ verba tropicè accipienda. 43.45.48
Cœna integra laicis danda. 123
Cœlibatus votum illicitum. 78
Cœlo papiſta nullus. 225.& 232
Chriſtus Deus ex ſeſe. 153
Chriſtus de perſona potius quam eſſentia Patris genitus. 154
Chriſtus ab vtero an omnibus Dei donis perfectus. 158. non. 159
Chriſtus an ignorauit aliquid. 160
Chriſti mortis acerbitas. 162
Chriſtus gehennam viuus expertus. 163
Chriſti angores in cruce gehenna. 164.165

Clementis Alexandrini errores. 96
Coniugium presbyteris licitum. 206
Concilia à Nazianzeno vituperata quia eorum fœlix exitus nullus. 68
Cõciliorum primorum authoritas quanta. 70
Cõciliorum omni Campiano authoritas æqualis. 79
Verbo omnes æquales. ibid. & 65
Crux Christi non adorata. 229
Cypriani authoritas quanta. 97

D.

DEscensio ad inferos. 165. 166
Deus mali author an sit, vbi tota doctrina de prouidentia dilucidè explicatur. à pag. 145. ad. 150.
Dionysius fictitius. 49
Papistarum hostis. 120
Diuorum inuocatio. 77
Dialectica papistica. 203. 204

E.

ECclesiæ iudicium à Spiritu Sancto non separandum. 29
Ecclesia Dei visibilis. 59. non semper. 57
Ecclesia Romana quando degenerauit à fide. 128. 129. 130. &c.
Ecclesia Romana corrupta. 134
Ecclesia Græca à Romana semper separata. 243
Episcopus Romanus bonus vltimus malus primus fuit Gregorius. 133
Episcopi omnes æquales. 122
Episcoporum authoritas in sacris omni authoritate humana maior. 226
Euãgeliũ vnum ab omnibus Euangelistis conscriptũ. 32
Euangelium Paulinis epistolis comprehensum. 33
Euangelij predicatione, interijsse Christianismum papistica obiectio eõfut. 239. &c.

F.

FIdes sola iustificat. 12. 13
Fide vacillare non est Christiani. 181
Fides à perseuerantia non est separabilis. 182. 183
Fidem infantes an habeant. 187

G.

GRæcia.
Guisius papistarũ Gallus gallinaceus. 141

H.

H.

HÆreticorum libri iurè prohibendi. 111.112
Hæreſeos ſuſpicio non ferenda. 143
Hieronymus à Beza iure reprehenſus. 100. quia ſcripturã detorquet. 101
Hypoſtaſeos verbum à Hieron. repudiatum. 157
Hyppolyti ſuppoſititius. 98

I.

IAcobi epiſtola ſpuria an. 10.11. non. 21.
Ieiunia ſtata in verbo nulla. 102
Ieiunij dies certus ex verbo Dei nullus. 103
Ieiunia publica legitimè à proteſtantibus obſeruata. 211
Ieiunium papiſticum in delectu ciborũ ponitur. 212
Ieiunium papiſticum ſuperſtitioſum Iudaicum. 211
Ieiunium Quadrageſimale neotericum inuentũ. 102 227
Ignatij Epiſtolæ ſuppoſititiæ. 97. & 226
Ieſuitarum Dialectica. 228
Imago Dei in homine non penitus deleta. 167
Imaginũ cultus illicitus. 208
Illyricus. 166
Iudæorum libertas Roma. 235
Iuſticia Chriſtiana perfecta. 178. ex fide ſola per imputationem. 179
Iuſtificatio ſine meritis. 207
Irænei neui. 95

L.

LEge ſalus nulla. 195
Laurentius Diaconus. 236. non fuit papiſta. 5

M.

MAriam virginem adorare hæreſis. 121
Monachiſmus à papiſtis vt vitium obijcitur. 61
Monachiſmus nouus veteri maximè diſſimilis. 104. 250
Miſſæ ſacrificium. 77. meritum refut. 207

O.

ORatio lingua vulgari. 122
Oratio pro defunctis vnde. 230

P.

PAtres à papiſticis reiecti. 110
Patres papiſtarum hoſtes. 121
Peccata non ſunt paria.

Peccato anima infecta non occisa. 171
Peccatũ animi accidens. 171
Petri primatus illicitus. 73
Premeditatione scribãt papistæ, nihil. 123
Primatus Papæ nullus. 74

R.

ROmam Babylonẽ, Campianus agnoscit. 26

S.

SAnctorum inuocatio. 122.208
Scripturæ solecismi qui. 34
Scripturæ sensus scriptura est. 40
Scripturæ exponendæ modus. 41.102. optimus. 41.
Scriptura index. 50
Scripturę authoritas maxima. 102
Scriptura à Patribus non semper optimè exposita. 118
Scrutamini scripturas. 119
Scriptura in lingua vulgari. 123
Sacerdotium in Christiana ecclesia nullum. 210
Sacramenta non miranda. 46
Signo tribuitur signati nomen. 45
Scripturæ authoritas penes ecclesiam. non. 29
Sophismata Iesuitica. 201

T.

TRanssubstãtiationis antiquitas quæ. 47

V.

VIrginitas an semper sit necessaria. 193

Παντοτε θεῷ δόξας

T. V.